PA 3992
.W4
Copy 1

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 428 9

PA 3992
.W4
Copy 1

QUA RATIONE EURIPIDES IN CARMINIBUS MELICIS DORIDEM, IN ANAPAESTIS ATTICAM DIALECTUM TEMPERAVERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

J. WEIDGEN.

LIBRARY OF CONGRESS
SMITHSONIAN DEPOSIT
65420

IENAE, 1874.

TYPIS RATII.

PA3992
.W4

96-845379

Ad conficiendum hoc opusculum cum aliis libris usus sum tum dissertationibus:

Caroli Althausii: De tragicorum graecorum dialceto. I Berol. 1866, II Spandav. 1870.

Dresselii: De dorismi natura. Ienae 1868.

Herm. Schaeferi: De dorismi in tragoediis graecis usu. Cottbus. 1866.

Cum in fabularum diverbiis, quae communem sermonem imitantur, sola fere Attica dialectus a poetis tragicis admissa sit, aliam rationem in canticis partimque etiam in anapaestis obtinuisse constat. Cuius rei quae causae fuerint, in promptu est, ut non opus sit de eis multa declamitare. Cum enim et universae poesi Homerus tamquam divinum quoddam exemplar propositus esset, et tragicae praeter illum imprimis ei poetae, qui apud Dores choricam Musam coluerant, fieri non potuit, quin ab his praeceptoribus una cum arte etiam oratio reciperetur. Quamquam dialectorum usus arctis finibus continebatur, neque eo unquam licentiae tragici progressi sunt, ut obliviscerentur se Atticos esse, et ad Athenienses de pulpito verba facere. Pauca enim sunt, quae, si principes tragoediae respicias, Aeschylus, Sophocles, Euripides de peregrini sermonis copia hauserunt. Quin ipse Euripides, qui tam multa in arte scenica et fabularum compositione novavit, in hac tamen re aliquantum magis se coercuit nec fere ultra terminos semel constitutos evagatus est. Ipsi vero hi termini magna ex parte incerti sunt, neque unquam fortasse leges illae, quibus tragici dialectorum usum circumscriptum esse voluerunt, ita erui atque explorari poterunt, ut ambigui nihil relinquatur. Adeo rem per se vagam et dubiam etiam incertiorem reddit librorum traditorum manca debilisque memoria.

Multi quidem sunt, qui in eam accurate pernoscendam operam impenderint, multaque hi viri atque nova, eaque utilissima, in lucem protulerunt. Sed cum omnes hanc viam ingressi sint, ut in tres simul tragicos animum intenderent, fieri necesse fuit, ut in tanta fabularum quae restant copia materiaeque suppeditatae amplitudine nonnulla aut non animadverterentur, aut neglecta reicerentur. Qui igitur summa cura ad tempus postposita ad singulas partes se converterit, ut e quarum cognitione facilior paretur ad illam transitus, is accuratius, opinor, ideoque non sine fructu rem iam tractatam retractare poterit. Sunt autem prae ceteris Euripideae fabulae dignae, quae seorsum examinentur, primum quia haud paucae sunt, ut ex eis melius dialectorum usus quam late pateat, cognoscatur, tum vero, quia ob ipsam multitudinem multo minus, quam Aeschyleae Sophocleaeque virorum doctorum studia in se converterunt. Haec autem Euripidis examinatio ita nobis instituenda visa est, ut in partes duas omnem materiam divideremus. Nam ubi id primum explicatum erit, dorismi qui sint, quos poeta admisit, et quibusnam legibus eorum usus in canticis temperetur, altero loco de anapaestis, quantum fieri poterit, disputabimus.

Pars I.

De canticis eorumque dialecto Doride.

Ab omni de dorismis quaestione segregentur oportet ea, quae cum dorica et dici possint et nonnunquam dicantur, minus tamen sumpta sunt a Doriensibus, quam ex Homero prompta, communi, ut ita dicam, linguae Graecae thesauro. Nunc tota res in eo tantum versatur, quod poetae tragici longam vocalem α contra Atticorum morem pro η admiserunt. Duplex autem fuit apud Atticos literae η ratio; aut orta enim est ex α sive brevi, sive longa, aut ex ε vocali producta. Sic ex μοῦσα — μούσης, ex αὐδάω — αὐδήσω nascuntur, sic rursus plurima verba in έω exeuntia sibi futurum in ήσω vindicant, et πατερ et τριηρε stirpes πατήρ et τριήρης nominativos. Nolo plura afferre. Notissima enim est res, quae non egeat exemplis. Illud autem η, quod ex ε natum esse diximus, etiam apud Dores „quantum cognosci licet, plerumque obtinuit; mansit α vocalis, ut longe plurima sint verba, in quibus cum ᾰ produci linguae leges iuberent, non transierit quidem illa in η, sed producta in α longum plenum atque integrum sonum retinuerit“ [1]).

Huius α usus latissime, ut fert natura rei, in I. declinatione patet. Dicebant tragici igitur, vel poterant dicere in canticis et anapaestis: μούσας, μούσα, πολίτας, Πηλείδας, Hec. 188 [2]), Ἄιδας, ib. 479, Ἑρμᾶς I. A. 1302, El. 462, πᾶ, ὅπᾳ saepius, e. g. Hipp. 585, πάντᾳ, Io. 207, Hipp 562, Or. 1265, ἄλλᾳ Io. 162, τᾶδε Cy. 44, 49, κρύφᾳ, μάταν. Deinde longius progressi vel genetivos pluralis n. in ᾶν, et nominum quae in ης exeunt genetivos singularis n. in α flectebant. Quam consuetudinem,

1) Ahrensius, de dial. Dor. pg. 129

2) Versus indico ex Kirchhoff, ed. mai.

in genetivo dumtaxat sing. n., etiam prosae orationis scriptores in nominibus propriis aliisque paucissimis secuti sunt, sexcenties Euripides, velut in βούτα, Andr. 280, ἀλάτα El. 201, Ἄιδα, Hec. 1082, Andr. 1018, Οἰδιπόδα Phoen. 805, μολπᾶν Hec. 899, Med. 421, 850, 1252 — — aliis, quae nunc praetermitto, non quo taedeat omnia huius dorismi in I. decl. exempla enumerare, quae tamen paene innumerabilia sunt, sed quia postea demum illud inquiremus, quatenus Euripides, quod potuerit dicere, dicere etiam debuerit.

Cadit eadem contrahendi vocales αο consuetudo — solutas enim formas genetivorum βούτα, ἀλάτα, Οἰδιπόδα cett. in αο exire constat — in ea nomina propria, quae in λαος terminantur, estque hoc in II. decl. unum Euripidi probatum dorismi genus. Quater hoc α extat in Μενέλαος nomine; Μενέλαν Rhes. 248, Μενέλᾳ Tro. 214, Μενέλα Andr. 481, et Tro. 1090, quod corruptum a librariis in vocativum Μενέλας transiit. Nominativus, quem agnoscit Aristophanes in Eq. 164 (ubi ἀρχέλας in trim. div.), casu forte nusquam apud Euripidem occurrit.

Habemus, ut rem nunc absolvam, tertium huius contractionis exemplum Iph. A. v. 197 Ποσειδᾶνος et Phoen. v. 187 Ποσειδανίοις. (ita in cod. B, in cett. Ποσειδωνίοις). Similiter apud Soph. Ποσειδᾶν O. C. 713[1]) et saepius apud Pindarum O. 1, 26; 5, 21.[2]) Nunquam vero poetis tragicis probata sunt alia, quae v. c. Alcaeo et Theocrito, velut φυσᾶντε et γελᾶν pro φυσῶντε et γελῶν.

Sterilis est dorismi III. declinatio, in qua praeter τῆς, gen. τῆτος, terminationem nulla est, quae α patiatur. Legitur in Herc. fur. v. 637 ἁ νεότας, sed vel hoc semel tantum, quamquam ne atticas quidem huius terminationis formas reperire potui.

Ex adiectivis ea solum, quae in ηεις desinunt, α asciscunt: πευκάεις Andr. 842. δινάεις Cy. 46, et contractione facta ὑλᾶντα

1) Ed. Nauck.

2) Ed. Boeckh. min. Lps. 1811.

Hel. 1304, αἰγλᾶντα Andr. 285, e certissima Musgravii emendatione. Derivata scilicet sunt omnia a I. declinationis substantivis, quae et ipsa dorice pronuntiabantur. — Alienum est α ab adiectivis in ηρος sive ηρης exeuntibus: ξηρός El. 731, Andr. 769, αἱματηρός, ib. 492, I.T. 428, οἰνηρός ib. 161, πλήρης, quod tamen aperte redit ad radicem ΠΛΑ, (πίμπλημι, πιμπλάναι), τοξήρης Rhes. 226, ἁλιήρης Hec. 452, λεχήρης Phoen. 1522, λογχήρης I. A 1066; denique βροτήσιος I. A. 1521.

Iam si ad verbum transeamus, hic quoque partim α receptum ab Euripide, partim repudiatum esse videbimus. Recipiunt omnia in αω terminata in futuris ceterisque quae inde derivantur temporibus; unde fit, ut etiam in nominibus, quae a verborum stirpibus originem petunt, integrum α servetur. Inter quae tamen nonnulla sunt, quae mireris contrariam rationem sequi. Sic omnia, quae in ης — ητος desinunt; nam et πλάνης — πλάνητος reperies I. T. 404 (contra πλανάτας i.e. πλανήτης Ba. 146), et γύμνης — γυμνήτων Rh. 31. et e. g. apud Sophoclem O. C. 1055 ἀδμής — ἀδμῆτας, ἀκμής — ἀκμῆτα Aut. 352; tum, quae in ημα: πήδημα El. 859, τρύφημα I A. 1050, μελέδημα Hipp. 1100, πῆμα El. 1181, Or. 980, Phoen. 800, ut etiam πημονά Hec. 626, I. T 401, Phoen. 255; λῆμα Alc. 989, Med. 176, Ba. 991, Soph. O. C. 877, μνῆμα denique Supp. 955, Phoen. 144, et σῆμα El. 457, I. A. 236, 270, Rhes. 12, quamquam et Pindari sunt μνᾶμα et σᾶμα et alia cognata nomina α habent, cf. ἐπίσαμος, περίσαμος pg. 20. Quae huic legi obesse videntur, θοίναμα Or. 806, πόρπαμα, βόαμα alia quaedam, de quibus mox plura (Pg. 21 sqq.), non sunt ea dorica, sed vere attica.

Mire variat poeta in adiectivis verborum. Ἔκβλητος Hec. 688, ἀναύδητος Io. 792, ἀείμνηστος I. A. 1528, πολυπλάνητος Hel. 1319, Hipp. 1106, οἰνοπλάνητος Rhes. 351, ἀνόνητος Or. 1509, quamquam in horum omnium stirpibus α inest; contra ἀνόνατος Alc. 425, Hipp. 1135, ἀνίκατος Ba. 992, τλατός Hec. 155; apud Sophoclem v. c. ἀδμήταν El. 1240, a stirpe δμα, unde δμαδέντες Alc. 129.

Praeter ea, quae iam persecuti sumus, inveniuntur verborum nominumque earundem stirpium formae sive doricae sive atticae:

ἁμιλλαδῶ Hel. 165, at ἐξαμιλλησάμενος Hel. 1473.

ἀντάσω Tro. 214.

ἀλάτας El. 139, 201, Heracl. 364, Supp. 282; at ἀλάληντο plusquamperf. Andr. 305; pro ἀλήταν Her. 614, quod mendosum esse ipso metro apparet, ἀτίταν reposuit Fixius.

αὐδαθέντων Med. 175, αὔδασον Phoen. 124, I. T. 175.

βέβακε Andr. 1001, Med. 436, Herc. f. 871, Tro. 288, 584, βάσεται Io. 700, I. T. 638,

aor. I. ἔβασα Hipp. 758, Med. 211, I. T. 207; at βήσει semel I. T. 1108. Aoristo II. ἔβαν, ἔβας, e. g. s nihil usitatius est, tamen ἔβησαν Ba. 902. Manet, ut videtur, η in infinitivo. Nam et Io. 224 βῆναι legitur, et apud Sophoclem O. C. 1226 et 1575, idemque haud scio an valeat de τλῆναι et στῆναι, licet desint eorum apud Euripidem exempla. — Pertinent huc etiam τριτοβάμων, Tro. 275, τετραβάμων El. 477, Phoe. 794, 809, τεθριππομβάμων Or. 984.

βόασον Alc. 234, Andr. 296, Or. 984, Tro. 335, 522, Hel. 1107, ἀναβοάσας Ba. 514 cod B, ἀναβοήσας C; ἀναβοάσωμεν Ba. 1143.

γεννάσεις I. A. 1064, προγεννητόρων Hipp. 1372.

δμαθέντες Tro. 175, Alc. 129, I. T. 191, 222.

δυνάσει Med. 849.

εὐνάσει Hipp. 562, 1369, εὐνάτωρ Andr. 1013, Tro. 828, Io. 907.

ἐρευνήσας Hel. 1137.

κομήτη Hipp. 210.

μέμναται El. 188, μνασθεῖσα El. 742 — μνήμην I. A. 296, ἀμνημοσύνα Io. 1102; at Μναμοσύνα Herc. f. 672.

ἐξοδυνηθείς Cy. 654.

ὀνήσας Su. 373, ὄνασις Hipp. 752.

ὁρμαθῶ Andr. 837, Med. 191, Tro. 534, I. T. 1240; ὁρμάσω Hipp. 1264 Su. 1019; ὁρμήτας vero Or. 1283 et Phoen. 1071.

πηδήσασα Su. 1020.

πλανάτας Ba. 146.

πεπόταμαι El. 177, Hipp. 563.

σιγάσω Io. 867, ἐσιγάθη Phoe. 349.

συλαθείς Io. 922, sed συλήτειρα Herc. f. 377.

De stirpibus στα et τλα:

ἕστακα Phoen. 833, στάσονται I. A. 761, 1039, Su. 1016, στήσουσι semel I. A. 784; ἀνίστη Alc. 129, ἔσταν, ἔτλαν, τλάσω, τέτλακα, τλάμων, sexcenties haec quidem occurrunt: Alc. 397, Andr. 123, Hec. 169, 197, 963, Hipp. 242, 559, 836, 880, Med. 111, 865, 1274, Or. 1391, 1491, Tro. 161, 185, 190, 247, 583, Phoen. 1044, Ba 1173, Hel. 682, El. 131, 1160, I. T. 177, 210, Io. 709, 763, 911, Cy. 366 — τλήμων bis Herc. f. 911, et Hel. 680, ubi insequitur statim τλάμων. — De στῆναι et βῆναι infinitivis ad βῆναι dictum est.

τελευτάσεται Hipp. 372.

Φημί dixit Euripides Heracl. 608, Φησί Hel. 1137, sed Φαμί Sophocles Trach. 124, quamquam idem ξύμφημι O. C. 1747 et Φής Ant. 1259. Saepissime tamen ille Φάμα Hec. 175, Hipp. 158, 572, 774, Med. 416, 420, Tro. 216, ter Φήμα, Alc. 1007, El. 701, Io. 181; εὔφαμος Io. 134; contra εὔφημος Io. 702 (mendosus versus est), Tro. 1065, Ba. 69, (ab Herc. f. v. 1171 dorismum alienum esse v. pg. 48).

εὐφαμεῖν I. T. 123, frg. 775 v. 61,

δύσφημος Hec. 192, δυσφημεῖν ib. 179,

παλίμφαμος Io. 1098, προφήτας denique Ba. 540.

Κτάομαι et quae ab eo descendunt nomina semper η retinent, non minus apud Euripidem, quam apud ceteros tragicos ipsumque Pindarum. Habes igitur v. c. κτησαίμαν Andr. 515, 757, ἐκτήσατο Hel. 1510, κτηθεῖσα Hec. 447, δορίκτητος Hec. 474. Ut ait enim Boeckhius, „in stirpe huius verbi ε inest, quod e κτέανον et κτέαρ substantivis cognoscatur;“ η autem, natum quod est ex ε, cum α mutari nequit. Tria solum exempla sunt, quae cum hac lege pugnare videantur;

δίνασεν Or. 1457 (at δινηθείς Rhes. 341.); verbi forma δινέω est.
ἐξεπόνασεν I. A. 267, πονέω.
ἐπτοάθης I. A. 583 (ἐπτοημένοις Tro. 560), πτοέω.

Huiusmodi formas, apud Pindarum minime raras, et quae omni tempore Doridis dialecti propriae fuerint, neque ut Theocriteae illae δάσας, φιλάσας, φίλατος, φίλαμα postea demum illatae, ita fere nunc explicant, ut olim iuxta communia in ε̄ω, alia in ᾱω terminata verba in usu fuisse existimentur. Neque, ut mihi videtur, exemplis caremus usus contrarii. Nam quod, unum ut afferam, οἰστράω futurum οἰστρήσω postulat, videamus, ne sit causa in οἰστρέω forma posita, de qua illud descendat. Nam si de οἰστράω duceretur, non esset, cur non tragici in canticis saltem η in α mutarent. At dicunt illi οἰστρηθείς Ba. 118, et Trach. 653, et ἀνοιστρήσατε Ba. 973. αἴστρησα ib 32.

Aliud dorismi genus, cuius non minus studiosus Euripides fuit, in syllaba μαν̄ cernitur, in quam cadunt pass. gen. imperfecta praesentiumque optativi et aoristorum medii tum indicativi tum optativi, veluti: ἀγόμαν sim. Andr. 109, Tro. 266, 520, 555, El. 115, 1208, — ἐδεξάμαν Hel. 329, εἰδόμαν sim. I. A. 216, 249, Cy. 71, Hec. 897, Or. 1483, El. 1218, — δυναίμαν sim. Andr. 120, 515, 755, I. A. 553, γενοίμαν Med. 641, I. A. 169, εἰργασάμαν Hipp. 239, ἀρυσαίμαν Hipp. 209, Ba. 395, Phoe. 221, 236, I. T. 843, alia permulta, quae vix opus est investigare, cum ubivis se exempla dent obviam, et si quae exceptio inveniatur in uno alterove deterrimae notae codice, ea optimorum auctoritate refutetur. Semel tantum ἐφηψάμην extat in v. 1220 Electrae, quae uno C libro continetur, et παυσαίμην Io. 151 (codd. BC).

Mira est in augmento temporali discrepantia, si quidem septies α doricum in verbo ἄγειν, bis in ἄρχω, nunquam in tot reliquis apparet. Legitur ᾰ̄γες Io. 902, ξυνᾰ̄γε I. A. 284, ᾰ̄γαγε Or. 1358, Tro. 810, ἐξᾰ̄γαγες Phoen. 1541, ᾰ̄γαγες, ᾰ̄γαγες I. T. 137, ᾱ̄γομαν ib. 843, quibus non opponas nisi ἠγάγετε Or. 176 et ἠγάγετο Andr. 104; nam ἦγεν ὧν I. A 279 ab Hermanno in ἠγεμών correctum est.

Ἄρχε bis in eadem fere formula extat in I. A. versibus 255 et 274, minime his quidem Euripideis; κατηρξάμαν contra El. 1218 et ἐξῆρχον Tro. 151.

At longe numero superant communes formae: ἠγρεύσω Andr. 824, ἤκουσα Hel. 516, ἤνεσα Andr. 770, ἤνυσα Tro. 602, El. 1164, Hec. 918, ἥρπασε Ba. 513, Or. 1497, ἐφηψάμαν El. 1221, Or. 1483, — ἀνημμένα Herc. f. 1027, ἠνθρακωμένοις Cy. 607, ἠθροισμένους I. A. 263, ἥρμοσται, Phoen. 115.

Quae sub hac re causa lateat, ignoramus; hoc certum est Dores tale discrimen non fecisse, cum e. g. ἄνασσε apud Pindarum O. VI, 34 invenias, et ἐφάψατο O. I, 86, ἀπόρησα et μετάλλαξεν apud Archimedem pg. 258 et 217 ed. Torelli.

Magnopere autem cavendum est, ne falso talia in Euripidem transferamus, id quod Nauckius fecit, qui „Eurip. Stud.“ I. pg. 54 in Or. v. 975 τεταμέναν in τ' ἐξαμμέναν emendandum esse censet. Debebat saltem ἐξημμέναν.

Longe maxime fluctuat α vocalis usus in stirpibus nominum et verborum, quamquam et hic in universum illa lex valet, ut omne η, quod ex ᾱ natum sit, in ᾰ rursus convertatur. In qua tamen re tantum abest, ut sibi tragici constiterint, ut vel in uno eodemque verbo modo hoc modo illud praetulisse videantur. Quae omnia multo accuratius intellegi atque diiudicari possent, si merae doridis dialecti monumenta ad memoriam nostrae aetatis pervenissent. Nunc vero, ut suo iure monet Ahrensius, (§ 19, pg. 127) cautissime scriptoribus et poetis, qui dorice scripserunt, utendum est. „Nam non solum librarii facile ad vulgare delabi poterant, sed saepissime etiam factum est, ut accuratiore cognitione Doridis (dialecti) destituti notissimam istam mutationem ultra ipsorum Doriensium consuetudinem usurparent. In eundem errorem haud raro ipsi poetae et scriptores inciderunt, qui post Alexandri aetatem Doricam dialectum arte imitati sunt.“

Ne ipse quidem Euripides „hyperdorismi,“ ut ita dicam, crimen effugit; qui cum ἀώς pro ἠώς dixerit, Rhes. 524, Or. 1002,

El. 727, et ἀπύω i. e. ἠπύω Or. 1253, Tro. 1295, Hec. 152, Ba 977, Su. 804, negavit Althausius η in α recte commutari; aperte enim utrumque ex ε ortum esse, quia ἠώς cum ἕως, ἠπύω cum ἔπος cohaereat. Cohaereat sane; atqui hinc sequitur, ut η ex ε productum sit, neque potius, ut in μάν, μήν, μεν, hoc ex illo attenuatum. Nam ἠώς vocabuli stirpem α olim habuisse proditur Aeolico αὔως, quocum comparari potest „aurora" Latinorum. Is igitur fuit fortasse formarum ordo, ut αϝως exciperetur illo αὔως sequerentur deinde ἀώς, ἠώς, ἕως.

Liceat nunc brevem adicere tabulam verborum et quae α recipiant, et quae cur respuant in obscuro est. Idem quidem ex parte iam Althausius curavit; sed cum de tribus simul tragoediae principibus agat, Euripidem miro modo neglegit.

Ἥβη et ἡβάω, σύνηβος, sim. Rhes. 342, Io. 489, 1470, Herc. f. 434, 436, 440, 646; ita etiam Sophocles et Aeschylus. Male igitur Dindorfius fecit, quod in O. C. v. 702 οὐθ' ἁβός — tradita sunt οὔτε νεαρός — Sophocli obtrudere vult, Theocritum testans, qui ἁβός V. 109 habeat. Sed aliam esse Theocriti orationem, aliam tragicorum ex ipso hoc indice etiam clarius existet.

ἄγησαι Hec. 167, ἀγεμών Rhes. 227, ἀγεμόνευμα Phoe. 1497, ἀγήτωρ Med. 426, semel προηγητήρ Ba. 1148.

ἀδονά negavit Schaeferus (pg. 10) reperiri apud Euripidem, nisi in El. v. 126, ubi corrigendum esset. At legitur etiam I. A. 229, Phoen. 314, 338 (codd. A B E F b c *C*), ut nequeat de eo dubitari; ἡδονά tamen: Ba. 857, I. A. 199, I. T. 828, Io. 1451, 1466, Hel. 634; — ἁδύς Rhes. 544, frg. 1033 (ἁδυπνόος Soph. El. 480, ἁδυεπής O. R. 151); ἡδύς Andr. 767, Su. 1009, Hec. 898, Ba. 66, 134, Hera. 893, Herc. f. 673 (ἡδίσταν, sed cum ἁδίσταν Dio Chrysost. et καλλίστην Plutarchus habeant, ἁδίσταν verum esse probabile fit), I. T. 433 (ἡδίσταν) frg. 265; — ἡδυθρόος El. 702, ἡδυβόας Ba. 126 (ubi Strabo ἁδυβόας), ἥδομαι Med. 137, Ba. 163, 865, I. A. 194.

ἥκω Alc. 902, Andr. 126.

ἀλαθές Hel. 149.

ἠλακάτᾳ Or. 1425, sed Soph. Trach. 637 χρυσηλάκατος.

ἠλεκτροφαής Hipp. 757.

ἦλιξ, τῆλιξ I. T. 1120, Phoen. 1747; ἅλιξ habet Pseudo-Theocr. XIX, 6, XIV, 54.

ἀλίβατος Su. 80, — ἠλίβατος Hipp. 728, Aesch. Supp. 351. Illud etiam Theocritus agnoscit XXVI, 10.

ἅλιος Alc. 244, Hec. 637, 1068, Hipp. 1279, Or. 1001, Tro 1069, Hel. 181, 342, Herc. f. 659, Su. 994, I. T. 195, ἀλέλιος Alc. 592, Hi. 850, Med. 1252, Or. 823, Tro. 269, Phoen. 169, 175, 1563, El. 465, 726, 736, Herc. f. 1192, I. A. 1284, Io. 1472; — ἀνάλιος Alc. 437, εὐάλιος Hipp. 128, I. T. 1114; — ἥλιος Alc. 395 (ἅλιος BC) Io. 122, ἀνήλιος Andr. 523, εὐήλιος Phoen. 675.

ἀλλήλας I. A. 788, sed ἀλλαλοφόνος Aesch. Su. 932 et Pind. O. II, 46.

ἅμαρ bis: Phoen. 1581 et Hel. 1367; multo saepius ἦμαρ Rhes. 453, Alc. 239 (ubi in c et d libris ἄματι), Ba. 903, 999, El. 145, 182, Io. 124.

ἀμέρα Alc. 244, Hec. 691, Hipp. 137, Med. 649, Tro. 849, 1330, Hec. 335, 1475, El. 585, Hera. 779, Su. 792, I. A. 1502, Io. 728, — ἡμέρα Su. 788, — ἀμέριος Phoe. 129, 1514, I. A. 1331; saepius α in compositis apparet: καθαμέριος Phoe. 229, 305, μεθαμέριος Io. 1056, παναμέριος Hipp. 372, Io. 122, εὐαμερία El. 196, frg. 775, v. 50, ἐφάμερος Or. 968, ἀμεροίκοιτος Cy. 58, παναμερεύω Rhes. 349.

ἀνήμερος Hec. 1057; Aeschylus ἄμερος habet Agam. 721.

ἀμός Andr. 1147, Alc. 407 — ἀμέτερος Med. 173, 424, 430, Tro. 606, 806, Phoe. 1580, Rhes. 13, El 590, 874, 876, I. A. 176. 548, 1486, Io. 1094; — ἡμέτερος Ba. 572; — ἀμῶν et ἀμῖν (quod habet Aeschylus Eum. 347) aliena sunt ab Euripide; ἡμῶν Alc. 995, Or. 166, ἡμᾶς Cy. 509.

ἦμος Hec. 898; ἅμος et τᾶμος Theocritea sunt: IV, 6; XIII, 27; ἀνίκα Andr. 111, Alc. 462, I. T. 1085, Ba. 99; — ἡνίκα Su. 998.

ἀπήνα Phoe. 328, Tro. 519.

ἥσυχος Andr. 143, Or. 1279, 178, 1399, Ba. 382; — ἄσυχος e. g. Theocr. II. 11, 100; VI. 12;

ἠών si unum C codicem sequimur, Euripides Or. 989 dixit, ceteri ABF*C* ἠών habent; ἠιών etiam Tro. v. 825.

ἀχώ Hec. 153; ἀχεῖν verbum sexcenties;[1]) ἄχημα I. A. 1045, ἀχέτας El. 151. Nusquam in hac voce η occurrit.

Βλαχά Cy. 48, 59.

τετραβάμων, similia v. pg. 22.

Γαμφηλαί Io. 159.

γήρυι Rhes. 538, Andr. 975; frequens est α apud Pindarum et Theocritum et in γῆρυς et in γηρύω verbo.

γαλανείας Herc. f. 402, I. A. 542; — Γαλάνεια ib. 1459; — καλλιγάλανος Tro. 834.

εὐγαθεῖ Herc. f. 784, εὐγαθήτων I. T. 204, at bis γέγηθα Ba. 1186, et Hel. 633.

Δᾶμος saepius; δαμογερόντων Andr. 229.

δαρός Hec. 181, Andr. 118, Ba. 880.

δύστανος Alc. 117, Andr. 526, 1049, Hec. 172, 198, 211, Hipp. 140, 162, 239, 1347, 1378, Med. 97, 132, 149, 357, 442, 979, 987, 995, Tro. 173 sq., 189, Phoe. 1537, Herc. f 1022, Io. 908; — δύστηνος Su. 967, Io. 904.

---

1) Phoen. v. 1519 sqq. legitur:

ἵς ἄρ' ὄρνις ἢ δρυὸς ἢ ἐλάτας ἀκροκόμοις ἀμφὶ κλάδοις ἑξομένα μονομάτορος | ὀδυρμοῖς ἐμοῖς ἄχεσι συνωδός;

Quid duobus dativis ὀδυρμοῖς et ἄχεσι faciamus? Num ὀδυρμοί avis sunt, ἄχεα Antigonae, ut sensus sit: lamentis suis cum meis malis conspirans? At verbum desideramus, cum ridicula evadat sententia, si de versu superiori ἔτλα τόσωνδε κακῶν τοιάδε ἄχεα φανερά subaudiantur, neque tollitur hoc vitium sublata cum Hermanno ὀδυρμοῖς voce, tamquam interpretamento. Quae proponit Nauckius: μονομάτορ' ὀδυρμὸν ἵησιν ἐμοῖς ἄχεσι συνωδός, nimis a tradita scriptura recedunt, quam ut vera esse possint. Malim ego ἀχέει pro ἄχεσι scribere, quod et confirmatur scholiastae paraphrasi: καθάπερ τις ὄρνις θρηνοῦσα ἀπηχεῖ, et structurae sententiaeque optime medetur. De hoc ἠχέω verbi usu cf. Herc. f. 1016 ᾠδὰν ἢ τίν' Ἅιδα χόρον ἀχήσω;

δῆλος Alc. 223, Andr. 817.

Εἰρήνα Heracl. 371, Ba. 411.

ἔρημος Andr. 282, 306, Phoe. 317.

ἐτήτυμος Io. 1494, Aesch. Aga. 166.

Ζηλόω, πολυζήλωτος Hipp. 167, Or. 965, I. T. 1092. Pindarus ζᾶλος habet, e. g. O. VII, 6.

Ζεύς — Ζανός v. pg. 27.

Θνατός Hipp. 544, 1106, Ba. 398, Hel. 1153, El. 742, Heracl. 768, Herc. f. 401, 652, 1184, I. A. 1092, 1325, I. T. 1097. Io. 133, 181, 485, 521; — θνατογενής Herc. f. 799. — θνητός Alc. 894, Ba. 389, Herc. f. 749. — θνήσκω Hec. 685. Aeschylus tamen θνάσκω dicit Sept. 748, et Pindarus O. II, 21.

θήλη Cy. 56, εὔθηλος I. A. 575; θηλυγενής bis Ba. 116 et 1148. Sed νεοθαλής I. A. 187, Tro. 217. (In νεοθαλές Io. 112 α corripitur.)

Ἰάλεμος Or. 1382, Phoen. 1037, Rhes. 888, Tro. 606, 1295. Semel ἰηλέμων Herc. f. 109 (ἰηλέμων γόων ἀοιδός); sed fortasse mendosum est, cum neque ἰήλεμος adiectivi vice fungatur, et displiceant asyndeton vocalisque η. An ἰηίων γόων, velut e. g. ἰήιον κλύων γόον ματρός El. 1209?

ἰήιος El. 1209, Phoen. 1039.

Κᾶπος reponendum videtur esse in Io. v. 116, ubi *C* codex κήπων, κόμπων *B* habet. „Erroris fontem, inquit Badhamus, hunc esse credo. In codice, unde Palatinus descriptus est, καπων scriptum erat. Homo ignarus pro α—ο, pro η—μ legit, et, quod saepe factum est, τὴν διττογραφίαν uno tenore exaravit; reposui κάπων."

Ceterum Moschus III, 101 doricam formam habet.

καρύσσω Tro. 225 (cdd. *ABC* κηρύσσω), El. 173, Hel. 1492, Io. 916, Hec. 176; — κᾶρυξ El. 706; — κηρύσσω Andr. 760, Or. 1550, frg. 775, 64; — κῆρυξ Tro. 184, Io. 156.

κᾶδος, κάδομαι saepe Pindarus, ut Ol. I, 107; VI, 47; P. IV, 199, nunquam Euripides dixit, qui ubique servat η.

κῆδος Tro. 841, Phoe. 340, κηδεύω Phoen. 347, — κηδεμών

Med. 977, κήδειος I. T. 146, — ἐπικήδειος Tro. 516. Io. 490. Perperam igitur Nauckius in Phoen. v. 1489 αἰδομένα in καδομένα mutavit.

κλῆρος Tro. 186, 290, Io. 914, Rhes. 534, ναυκληρία Alc. 114; — κλᾶρος Pindaricum est; semel Aeschylus Su. 360. Ζεὺς κλάριος dixit.

κρήνα; sic semper Euripides; Cy. 66, Hel. 677; — κρηνίς Hipp. 207; κρηναίαισι I. A. 180 et 1296. Haud rarum κράνα est apud Theocritum I, 150; III, 4; V, 47; VIII, 37.

κρηπίς Tro. 216.

κηλίς Hec. 896, Hipp. 816.

κηφήν Tro. 194.

Λάθα I. T. 222; λάθομαι Tro. 608, λαθοσύνα I. T. 1247. Λήθει in Heracl. v. 778 unus *C* codex, alter *B* λεύθει habet, ut fortasse λάθει verum sit.

λήγω Hipp. 1127, I. T. 1116.

Μανύω bis Hec. 190 sq.

μάτηρ Alc. 271, 400, 407, 415, 466, Andr. 504, 511, 514, 1035, Hec. 172, 173, 177, 184, 186, 191, 193, 198, 211, 653, 694, Hipp. 144, 1145, Med 113, 997, Or. 165, 193, 196, 338, 828, 839, 842, 1453, 1491. Tro. 146, 222, 315, 332, 559, 603, 832, 1091, 1229, 1252, 1303, Phoe. 151, 156, 298, 307, 311, 341, 346, 649, 816, 1032, 1047, 1060, 1287, 1503, 1526, 1573, Rhes. 349, 897, Ba. 78, 91, 127, 131, 166, 982, 997, 1195, Hel. 219, 367, 477, 685, 1302, 1320, 1340, 1356, El. 211, 699, 1185, 1196, 1211, 1223, 1227, Herc. 771, Herc f. 116, Su. 370, 377, 598, 798, 803, 825, 963, 1124, 1129, 1137, 1157, I. A. 1074, 1279, 1313, 1485, I. T. 204, 234, 1146, 1242, 1250, Io. 901, 905, 923, 1087, 1464, 1495, 1499. ματρόθεν Hel. 214, ἀμφιμάτωρ Andr. 466; — ἀμάτωρ Phoen. 566 — ματροκτόνος Or. 833, — μονυμάτωρ Phoen. 1517, — παλαιομάτωρ Su. 628, προμάτωρ Phoe. 827, ib. 676, — μήτηρ Hel. 1453, El. 1183, 1216, Su. 1172, I. A. 1085, 1288, 1494; μητροφόντας Or. 1424.

μάν Alc. 89, Io. 203, El. 485 (Nauckii coniectura); saepius

apud Sophoclem, veluti O. C. vv. 152, 182, 1469; — μήν Rhes. 535, I. T. 866.

μᾶλον i. e. malum dixerunt Pindarus et Theocritus, VII, 117; XXVI, 1; at μηλοσπόρος Euripides Hipp. 738.

μῆλον i. e. ovis, apud omnes η servat; μηλοβότας Cy. 53, μηλοθύτας Alc. 123, I. T. 1091, μηλονόμας Alc. 587, μηλοφόρος Herc. f. 396, δεξίμηλος Andr. 129; hinc etiam Εὔμηλος dicitur I. A. 215.

μαχανά Aeschyleum est atque Sophocleum (Spl. 131 — ἀμάχανος Eum. 561, Soph. Ai. 181), sed minime Euripideum; nam μηχανάν habes Alc. 227, Or. 1416; — ἀμηχανία Hipp. 162, Med. 642; — ἀμήχανος Andr. 755, — μῆχος Andr. 525.

μηρός Ba. 96, 512.

μήν (μηνός) Io. 1492, Hera. 729, μῆνας Rhes. 523.

μῆνις Heracl. 762, I. T. 1243, Hel. 1355 (Aesch. Agam. 155). Semel in Hipp. v. 1113. μανίαν.

μάκιστος Hipp. 814.

μναστευθεῖσα I. T. 200.

Νᾶσος Hec. 452, Ba. 396, Tro. 802, Phoen. 204. Excipiendi sunt I. A. vv. 201 et 282, ubi νῆσος et νησαῖος (in navium catalogo) et Tro. v. 189, νησαία.

Νηδύς Hipp. 164, Ba. 91, 516.

ναῦς et ναΐος v. pg. 23.

Παγά Hipp. 124, Med. 410, Ba. 521, I. A. 1478, 1510, 1513, Io. 118, 146, 1076, at πηγά Tro. 228, Rhes. 820, Herc. f. 390, I. T. 160, Hel. 1335 Cy. 492 (cf. pg. 46), Alc. 102 (πηγαῖος cf. pg. 46), frg. 775, 31.

πλαγά Andr. 844, Med. 851, Or. 1467, Tro. 151, Hel. 374, El. 1180, at πληγά Ba. 93. — Sic πλῆκτρον quoque Herc. f. 352 et Alc. 11 (ubi πλᾶκτρον in *BC*). Semper η, ut videtur, in verbo manet: ἐκπλήξασα Med. 636, ἐκπληχθεῖσα Tro. 183, — Συμπληγάδες Med. 1252.

ποτανός, πτανός, Phoen. 1523, Hipp. 730, 1275, Or. 988, Tro. 146, Io. 155, 517, 910, Hel. 1145, 1478, 1487, El. 460, Herc.

f. 368, 1187, Su. 621, 1142.

ἔπταξας Hec. 177, πτήσσω tamen Ba. 1024.

πῆχυς Or. 1466, — εὐπηχύς Hipp. 199. Theocritus πᾶχυς habet VII, 67.

πηδάω Io. 726, πήδημα El. 859.

πηδάλιον Andr. 474.

πῆμα, πημόνα El. 1181, Phoen. 800, 255, Hec. 626, I. T. 401. Cf. pg. 9.

πήνα Io. 199, Hec. 467, — χρυσεοπήνητος Or. 832, — at παννίσδεται Theocr. XVIII, 32.

πολιήτης El. 119, et πολιῆτις Hipp. 1119; Pindarus I. I, 51 πολιάτας dixit.

ἐπίσαμος Phoen. 806 et περίσαμος Herc. f 1007; mirum est haec sola esse dorismi exempla, cum tot alia vulgarium formarum extent: σῆμα (de quo tamen v. pg. 9) El. 457, I. A. 236, 270, Rhes. 12; — σημεῖον I. A. 250, Rhes. 518; — ἐπίσημος Heracl. 906, — εὔσημος I. A. 247, — ἄσημος Hipp. 374, παράσημος ib. 1110.

σηκός Phoen. 1753; at σακίτης apud Theocr. I, 10.

Σίδαρος, similia, saepissime nulla exceptione inveniuntur, ut Alc. 891, Hec. 719, Phoe. 350, αὐτοσίδαρος Hel. 356, σιδαροφρών Phoe. 673.

σκηνά Rhes. 45.

σκῆψις Io. 729, σκηπτός Andr. 1018, σκῆπτρον Andr. 1165, I. T. 185. Pindarus Ol. I, 12; P. IV, 152 σκᾶπτρον habet.

σελάνα Alc. 451, Hipp. 846, Tro. 1075, Hel. 1367, Hera. 748, Su. 994, Io. 1082; — Σελαναία Phoen. 175.

Τάκω Andr. 116, Med 141, 160, El. 206, 1208, τέτακα Su. 1149; at συντηχθείς Su. 1032.

τηλόσε I. T. 170.

τλάμων v. pg. 11.

τραχύλος Cy. 607.

τηλύγετος I. T. 816.

Φάμα et composita v. pg. 11.

Χάλα Phoen. 811, 1029, Io. 1243.
Ψῆφος Or. 967, Pindarus ψᾶφος dicit Ol. XIII, 44.

Cum adhuc de formis vere doricis disputaverimus, nunc paucis illas attingamus, quae Atticae cum sint, speciem tamen dorismi prae se ferunt. Cuiusmodi verborum natura non satis olim perspecta pro peregrinis ea haud semel vv. dd. habuerunt e diverbiique finibus eiecerunt. Nec vero attica dialectus omnia ab Ionibus, nihil a Doriensibus recepit, immo e iusta utriusque temperatione profecta et huius vigorem et illius mollitudinem in se consociavit. Quod non ita accipiendum est, ut Atticos conscia mente, ut ita dicam, alia ab aliis mutuatos esse putes. Nam fuit olim omnibus Graecorum populis communis fere lingua, e qua tamquam rami de arbore profectae dialecti multa habent, quae sunt communis originis testes. Praevaluisse autem in illa plenam vocalem α putandum est et inde in singulas quasque dialectos transiisse, ita tamen ut regnaret in Doride, toleraretur in Attica. Cavendum est igitur, ne falso scriptores dorismi accusemus, sicubi ἐκοίλαναν (Thuc. 4. 100), ἀγξηράνῃ (Il. Φ. 347), ὀπαδός (Plat. Phaedr. 252 C, alibi) legamus, vel, ut sexcenties, λοχαγός, οὐραγός, ξεναγός, χοραγός, κυναγός, quae non ut nova recepere Attici, sed, cum iam haberent, ea immutata servaverunt. — Ex hoc veteris Atticismi fonte haurire poterant cum ceteri scriptores tum poetae tragici, qui si forsan plusculum sibi sumpserint ut quaedam habeant insolita et aliunde incognita, dramaticae poesis maiestate, longe quae superat pedestris orationis tenuitatem, facile excusantur. Sed transeamus ad singula.

Αὔδασον dixit Euripides Phoen. 123, idque in trimetro. Defendit hoc contra Matthiaeum G. Hermannus, quia trimeter

cum melicis cohaereret. At primum non cohaeret, nisi accepta ipsius Hermanni emendatione, quae tamen nulla est; tum vel si cohaereret, repudiandus esset dorismus, siquidem abest etiam a reliquis Antigonae trimetris (vv. 130, 144, 161, 178)[1]. Aut igitur cum Matthiaeo *αὔδησον* recipiendum est, aut est *αὔδασον* de numero earum quas dixi formarum, quae non tam doricae sunt, quam, ut ait Lobeckius ad Phryn. pg. 428, „dorice coloratae". Perbene igitur accidit, quod, ut vidi e Dresselii dissertatione, pg. 15, alterum habemus exemplum Aesch. frg. 19 (Dind.).

ποῦ δ' ἐστὶν Ἀργοῦς ἱερὸν, αὔδασον, ξύλον;

Βαίνω; *βάσομαι, βέβακα* e. q. s. saepe, ut antea dictum est, in lyricis occurrunt; semel *βᾶθι* Rhes. 1 in anapaestis legitimis, de quibus cf. pg. 73 , itemque *βάτω* Soph. Ai. 1414 et O. C. 1547 in diverbio. His addi possunt: *δίβαμος* in diverb. Rhes. 215, *τετραβάμων* simm., quae attica fuisse Lobeckius ad Phryn. pg. 431 demonstravit.

Etiam *ϑοινάω, ποινάω, πορπάω* et cognata apud Atticos *α* habent. Nam in diverbio leguntur: *πόρπαξ* Rhes. 377, *πόρπαμα* Herc. f. 949, Hel. 1377, Rhes. 431 (ubi *πορπάσμασιν* in ll. BCbc *A*, *πορπήμασιν* in *BC* est; illud restituit Porsonus). *Ποινασύμεσθα* I. T. 1401, *ποινάτωρ* El. 23, 264, ut summo certe iure *ποινηϑεῖσα*, quod Hel. 1510 in cantico traditur, iam a Scaligero in *ποιναϑεῖσα* correctum sit. — *Θοινασύμεσθα* El. 834, *ϑοινάτωρ* Io. 1208, 1219, *συνϑοινάτωρ* El. 637, *ϑοινατήριον* Rhes. 504, ubi non video, cur Kirchhoffius ex Hesychii glossa: *ϑοινητήριον: κατάβρωμα· τροφή·* contra libros praetulerit huius *ϑοινη τήριον*.

Simile huic *α* in aliis quibusdam verbis apparet. Sic *πολυάχητος* in Alc. v. 927 (versus sunt anapaesti legitimi) non nisi veteri Atticismo tribuendum videtur esse, non quidem ob eos locos, quos Althausius attulit, qui ad unum omnes de lyricis sumpti nihil efficiunt. Sed Aristotelis locus est, hist. an. IV, 7, ubi cicadam non *ἠχέτην*, sed *ἀχέτην* vocari videmus. — Multo hoc crebriora

1) De trimetris inter melica v. pg. 48 sqq.

in diverbii trimetris sunt: δαρός (Herc. f. 700, Or. 55, Heracl. 69), δάιος (Phoen. 1028), nedum in canticis Hec. 183, Ba. 980; Andr. 506, 826, 837, Tro. 1301, Phoe. 241, 1023, Rhes. 135. Semel η apparet in δηϊάλωτος Andr. 105 cant., quod si verum est, epica forma ex epici versus ratione fluxit — nam in hexametro dactyl. legitur. — Duplex α nihil offensionis habiturum fuisse docent Andr. v. 820, δαίας τόλμας, ib. 809 δάι' ἀμύγματα, Soph. Tra. 705 ὦ δαία Τέκμησσα.

ναός, ναῶν genetivi sing. et plur. n. vocis ναῦς, praeter vulgares formas νεώς, νεῶν. Νηός, quod Med. 520 *BC* codices habent. et νηῶν I. T. 1453 iam ab Elmsleyo ad Med. 510 (520) correcta sunt. In νηί, νῆες η in α non convertitur nisi in melicis: ναί I. T. 862, νᾶες I. A. 239, 253, 262; — νᾶας vero dici vetuit similis soni collisio, itaque νῆας I. A. 249, cant. Νάιος denique, quod habes in lyricis, Rhes. 248, I. T. 398, I. A. 255, in diverbio agnoscitur e. g. Aesch. Pers. 336, Su. 719.

Restat, ut composita quaedam attingam partim vere dorica, partim tantum dorice colorata.

Ἀρχαγός Hipp. 151, Io. 732.

ποδαγός Phoen. 1716.

χοραγός Hel. 1455.

at semper, nisi fallor, στρατηγός, Rhes. 132,

κυναγός frg. 775, v. 29, saepius in diverbio, ut Phoen. 1176, Hipp. 1091, 1390. Iure igitur κυνηγία Ba. 332 (div.), unis *BC* libris traditum ab editoribus in κυναγία emendatur.

κυναγέτης Ba. 861 (cant.), 1178 (c.); κυναγετεῖν Herc. f. 888 (c.). At κυνηγέτης in diverbio Hec. 1152, Herc. f. 852, Rhes. 313; ἐκκυνηγετεῖν Io. 1425 et κυνηγεσιῶν Hipp. 224 in anapaestis legitimis. — Hoc inter κυναγός et κυνηγέτης discrimen testatur etiam Phrynichus pg. 428: κυναγός· τοῦτο τοὔνομα οὕτω πως μεταχειρίζονται· οἱ μὲν τραγικοὶ ποιηταὶ τρισυλλάβως λέγουσι, καὶ διωρίζουσι τὸ η εἰς α μετατιθέντες· κυναγός· οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τετρασυλλάβως τε προφέρουσι καὶ τὸ η φυλάττουσιν, οἷον κυνηγέτης. Inde vero si Gerthius pg. 74 colligere

videtur nunquam tragicos ne in melicis quidem κυναγέτας dixisse, nec iusta eius rei causa ac ratio cogitari potest, et adversantur tres illi quos memoravi loci.

Ὑπεράνωρ Phoen. 184.

πολυάνωρ I. T. 1250.

εὐανορία Herc. f. 406.

μεγαλανορία Phoen. 184 in μεγαλαγορία mutat Valckenaerius, cui haud scio an obsint μεγαληγορία Heracl 356, μεγαλήγορος Aesch. Spt. 565, νυκτηγορία Rhes. 19, προσηγόρημα Supp. 807.

ἀνήκουστος Hipp. 365.

ἄνεμόεις producto α Heracl. 781.

ἰσάνεμος I. A. 204; — sed

ὑπήνεμος Cy. 44.

νήνεμος Hel. 1457.

A γῆ sive γᾶ derivantur:

γαπετής Phoen. 669.

γαπόνος Su. 421 in div. (γᾶ πόνος *B*, γηπόνος *C*).

γαπονεῖν Rhes. 75. (sic Bbc cdd., γῆ πονεῖν C*ABC*).

Sed maxime mirum est, quod nunquam ne in canticis quidem γηγενής et γηγενέτης dorismum patiuntur. Γηγενής enim legitur: Phoen. 127, I. A. 254, Ba. 987, 1005, 1041 (in div.); γηγενέτης Io. 1471 (Soph. Tra. 1058, Aesch. Pro. 568). Dubitare vero minime licet de hac discrepantia, quod cum in aliis vocabulis, tum in verborum augmentis eandem tyrannici usus libidinem deprehendimus.

Χρυσοκάρανος Herc. f. 375.

μυριόκρανος ib. 413.

ταυρόκρανος Or. 1370.

κράδεμνον Phoen. 1497.

καρατόμος Tro. 567

Similiter α in diverbio apparet: Tro. 93, καραδοκέω; Rhes. 600, καρατόμος; ib 810, καρανιστής: Doricum igitur α non est.

H, quod compositi partes ligat, nonnusquam in α transit. Θηβαγενής Su. 136.

νεαγενής I. A. 1620.

νοθαγενής Andr. 920, Io. 604, et haec quidem in diverbio; mirum igitur, quod bis tantum in lyricis accidit.

στεφαναφορία El. 860 et Herc. f. 773; nam σειραφόρους I. A. 220 a Dindorfio metri causa in σειροφόρους mutatum est.

Manet η in:

στεφανηφόρος Ba. 520.

ξιφηφόρος Herc. f. 804, Ba. 984, 1004.

ζυγηφόρος Herc. f. 121, sed dubium est;

χλοηφόρος Phoen. 648, 654.

βοηδρόμος Or. 1284,

νεηθαλής Io. 112.

έκηβόλος Io. 216 (ἑκαβόλος Soph. O. R. 163).

Nominum propriorum longe plurima a dorismo abhorrent, vel ea, quae propter originem facilius ad eum inclinare putes.

Ἀγηνορίδαι Phoen. 217.

Ἄδμητος Alc. 227.

Ἠλέκτρα El. 118.

Ἥφαιστος El. 444.

Θήβα, Θηβαῖος saepissime.

Ἰσμηνός Phoen. 347, 795, 828, Herc. f. 773.

Νηρεύς, Νηρηίς Andr. 145, El. 435, I. A. 234. — Ναΐς Hipp. 551.

Προμηθεύς Io. 466.

Συμπληγάδες Med. 1522, alia, quae persequi omnia longum est.

In paucis tantum α obtinet. Sic Euripides ceterique tragici semper

Ἀδάνα vel in diverbio dicunt.

Bene id inde explicuit Gerthius, quod, ut ex inscriptionibus liqueret, ante Euclidem archontem una forma Ἀθηναία in usu fuisset, neque omnino tragicorum tempore Ἀθηνάα sive Ἀθηνᾶ extitisset. Aut igitur vulgari forma Ἀθηναία eis utendum fuisse, aut dorica illa quidem, sed quae e carminibus, quibus dea celebrabatur, iam diu apud Athenienses innotuisset.

Fugit tamen Gerthium potuisse tragicos etiam Ἀθαναία di-

cere, vulgari forma Ἀθηναία neglecta, et dixisse ita Euripidem in Hec. v. 464:

463 ἢ Παλλάδος ἐν πόλει
τᾶς καλλιδίφρου Ἀθα-
ναίας ἐν κροκέῳ πέπλῳ
ζεύξομαι ἆρα πώλους
ἐν δαιδαλέαισι ποικίλλουσ'
ἀνθοκρόκοισι πήναις;

Verba sunt chori captivorum futuram sortem conquerentium. Scio quidem v. 464 mendosum videri, si cum antistrophico conferatur, respondere cum debeant illis hi versus:

ὤμοι τεκέων ἐμῶν,
ὤμοι πατέρων χθονός θ',
ἃ καπνῷ κατερείπεται e. q. s.

Offensui est in v. 464 hiatus καλλιδίφρου Ἀθαναίας, removitque eum Nauckius pro Ἀθαναίας proponens — θεᾶς ναίουσ'. Ingeniose id quidem, sed parum, nisi fallor, versimiliter. Nam aperte genetivus καλλιδίφρου Ἀθαναίας diversus est a priore Παλλάδος neque a πόλει, sed a πώλους dependet; non se equos aliquos, sed Minervam ipsam, qualis equos freno domitet et curru vehatur, se texturam esse chorus significat. Sic etiam in eis, quae sequuntur, non de re incerta verba facit, sed de Titanum certamine. Hic enim est mos poetarum, ut, ubi vulgus generatim et universe loquatur, illi unum de multis deligentes rem certam definitamque depingant. Utut est igitur, cavendum est, ne, dum restituas metrum, poesis vim destruas.

Sed revertamur ad Ἀθάνα.

Ἀθάνα de urbe dicitur: Hipp. 1116 et Su. 754.

Ἀθᾶναι Alc. 266, Io. 184, Hera. 359 (cod. *C*, in *B* Ἀθῆναι est).

Sed Ἀθῆναι Tro. 805, Hipp. 755 et Ἀθηναῖοι I. T. 1106. Non sibi constat Dindorfius, qui reliquerit in Tro. versu Ἀθῆναι, at Ἀθᾶναι in Hippolyto scripserit.

Δαμάτηρ Phoen. 686, Hipp. 157, Io. 1054.

Δᾶλος Io. 924. — Δάλιος Rhes. 225; Δηλιάδες tamen Io. 167, Herc. f. 685, I. T. 1209, Hec. 459.

Ἕλλανες Hec. 891, Hipp. 1115, I. T. 1071, Or. 1306, 1401, Tro. 203, 267, Ἑλλανίς Hel. 193, Ἑλλάνιος Io. 806. sic ubique cum α dorico.

Λατώ Hec. 457, Io. 127, 143, I. T. 1077, Phoen. 109.

Σελαναία Phoen. 175.

(Ζεύς-) Ζανός bis; in Hipp. v. 62 (codd. ABCE abcd, Ζηνός *B*) et frgm. 475 a v. 2.

Communis forma Ζηνός legitur et in eiusdem Hipp. vv. 68 et 754, et Tro. 822. Rhes. 347, Io. 158, Med. 210, ubi per errorem Ζανός legi Althausius dicit, quae est coniectura Brunckii. Pessime certe Dindorfius facit, quod ubique insolitam solitae formae praefert. Potius aliquis ex illo Hippolyti versu Ζανός expellat, abiudicans ab Euripide, quod vel a Pindaro et ceteris tragicis, nisi fallor, abest. Refutatur etiam altero illo Ζηνός, quod statim insequitur in v. 68; quod ni esset, haud scio an condonari posset Ζανός, ut quod poeta uno saltem loco praeter consuetudinem temptavisset. Cf. quae pg. 36 sqq. de eiusmodi discrepantiis dicta sunt.

In paucis nominibus etiam illud accidit contrarium, ut posthabito α attico praeferretur η. Sunt ea:

Ἀσιῆτις Andr. 119, Herc. f. 642, I. T. 387, Ἀσιήτας I. T. 174.

Ἀδριηνᾶς Hipp. 732, semper.

Θρῇξ et Θρήκα Alc. 973, Rhes. 366, Hec. 944, 1015, 1027, 1035, 1067.

Παρνησιάδες Io. 86 in anapaestis legitimis; Παρνήσιος Andr. 1073 in div. Hoc dum mutat Dindorfius, illud silentio comprobat. Etiam Aeschylus η habet in Παρνήσιος Coeph. 563. — Atticum Πάρνασος e. g. Phoen. 207, Herc. f. 240, Io. 155, I. T. 1217 occurrit.

Caput II.

Quibus legibus Euripides α dorici usum circumscripserit.

Iam ad eam disputationis nostrae partem devenimus, quae priore multo gravior atque difficilior bene absolvi non poterit, nisi antea viam cognoverimus, qua sola liceat ad finem optatum pervenire. Omnes autem viri docti, quos noverim in dorismum inquisivisse, eo imprimis peccaverunt, quod nequaquam librorum ratione habita in eis, quae hac illave fabularum editione praebebantur, acquievere. Nam qui, ut Althausius, de Nauckiana proficiscitur, atque hinc totus pendet in promenda exemplorum copia, is necesse est primario errore ductus in alios multos delabatur. Neque enim illud ullo modo neglegendum est, quo quaeque codice nitatur scriptura, numque fortasse his in rebus vel coniuncta omnium auctoritas tantum valeat, ut abiecto nostro iudicio nos ea duci patiamur. Quantopere enim depravati codices ad nostram aetatem pervenerint, haud cuiquam ignotum est, cum mendi genus cogitari non possit, quo illi non sint foedati; cumque ne ea quidem, quae quam simplicissima videntur, hanc sortem effugerint, etiam dorismum eam subiisse et per se credibile est et innumeris exemplis comprobatur. Perbene igitur accidit, quod nunc Kirchoffii cura integerrimus apparatus criticus suppeditatus est, quo et variae lectiones bene internoscantur, et quanti quisque liber aestimandus sit, facile intellegatur.

Iam si codices qui supersunt in conspectum vocemus, tres fabulas uno *C* contineri videbimus, Helenam, Electram, Herculem furentem; alias septem duobus *BC*, Bacchas, Heraclidas, Supplices,

Iphigeniam Aulidensem, Iphig. Tauricam, Ionem, Cyclopem. Inter omnes autem constat, quid statuendum sit de *B* et *C* libris, et quantulum, ubi aliis utamur, ipsis attribuendum momentum sit. Ubique enim in eis veterem textum librarii ex arbitrio suo nunc modice, nunc cum summa libidine interpolaverunt. Quae mutandi libido a dorismo non abstinuit. In Andromachae certe fabula fere quinquies decies *BC* libri *α* non agnoscunt, ceteri ubi omnes, aut partim tamen in eo consentiunt: Ἑλένην v. 104, θαλάσσης 109, αὐτή 109, Ἑρμιόνης 114, ἧς 114, ταύτην bis 770, κόμης 809, τήν 823, δεσπότην 1171, οὐρειῶν (pro — ᾶν) 284, βόησε 296, πληγάν 826, δηρόν, quod vel a diverbio alienum est, v. 118. —

In Hippolyto idem plus quam decies evenit, e. g. πάσης 544, λίμνης 740, Ἐρεχθειδῶν 150, τελευτήσεται 372, ὄνησις 752, ἀνόνητα 1134, φήμαν 768, τλῆμον 842, 877, σελήνα 846, neque minus saepe in Alcestide: σῆς 234, 475, φιλτατήν 238, Ἄιδης 271, 452, Ἄιδου 450, 470, 477, βόησον 242, βέβηκεν 405, ἔτλη 588, ἡμέρας 252.

Sic in Oreste liber *C* (nam abest a *B* fabula) η habet in vv 955, 1004, 1009, 1402, 1493, Ἀτρειδῶν et στρατηλατῶν 959, 962, ἡλίου 999, εὐπηγεῖ 1422.

Apparet igitur, plerumque, ut ferebat rei natura, η et ου et ων primae declin. a librariis inserta esse, nec tamen deesse alia vitia. Eis, quae iam memoravi, addi possunt: ἡγεμών Rhes. 227, ἡδονάν Phoen. 315, ἥλιος Phoen. 168, ἦμαρ Phoen. 1581, δυνήσει Med. 849, πληγά Tro. 150, μήτηρ Hec. 184, Phoen. 342, 667, πηγά Med. 413, Μενέλαον pro Μενέλαν Rhes. 248, quin νηός Med. 520 in diverbio, τλήμων Hec. 167, Med. 1263, Tro. 585, φήμας Hec. 192.

Sed magnopere erraremus, si haec vitia solis *B* et *C* libris imputaremus. Est unus primae classis liber F (Orestem continet et Phoenissas et Hecubam partemque Medeae), qui illos, si fieri possit, etiam superat. Nam in Oreste illius libri confector

quinquies et vicies nonnunquam unius alteriusve libri auctoritate adiutus in α doricum saevivit. Undevicies e I declinatione expulit, η inserui (in vv. 156, 168, 177, 824, 835, 955, 975, 1009, 1350, 1378, 1389, 1394, 1396, 1402, 1418, 1425, 1432, 1438, 1493), bis (959 et 962) genetivum pluralis in ῶν formavit, bis (1301, 1391) σιδηρέοισι, semel, 1358, ἤγαγε praebet. — Similiter idem F saepe in Phoenissis, etiam saepius in Hecuba a vero aberravit.

Vel AB libri, qui omnium consensu longe optimi habentur, pauca ut afferam in Or. v. 161 μητέρος habent, ceteri Ec, quin isti F *C* ματέρος; B solus in v. 315 δίκην, 973 θνητῶν (pro βροτῶν), 1007 κρήσσης; A ἄλλην 1004, et γενέτην 1009, et γᾶ γᾶ 1366, itemque γᾶν 1390, et εὐπηγεῖ 422; atque haec omnia in uno Oreste. In Hippolyti versu 156 reliqui omnes Φαμάν, aut saltem Φημάν habent, unus A Φημήν, quamquam sexcenties et praecedit et insequitur α. Sic denique τῆς 533, Φημάν 768, τύχῃ 814, alia permulta. Longum enim est omnes enumerare et huius et aliarum fabularum versus, ubi vitiosi sunt libri A et B, fluctuantemque eorum varietatem recensere.

Quodsi vera sunt, quae adhuc disputavimus, tria hinc necessario consequuntur: primum vel optimorum librorum fidem ambiguam incertamque esse; deinde, cum tam saepe modo hi, modo illi in vitio aliquo congruant, suspicandum esse, et hoc haud semel accidere, ut omnes uno consensu falsa pro veris venditent, quia „omnes e libro fluxerunt recenti atque graviter depravato et interpolato“ (Nauck. in praef. ed. III. Eurip. pg. XLI); pessime denique actum esse de eis fabulis, quae non nisi *B C* libris, nedum uno *C* contineantur, ut, si quis leges investigare velit, quibus Euripides suum dorismi usum circumscriptum voluerit, nihil fere ad eas constituendas valeant tres illae codicis *C* fabulae. Quin de septem, quae et *B* et *C* nituntur, sic iudicari oportet, ut leges semel ex aliis repertas eis confirmari quidem posse existimemus, refutari non posse.

Neglegere haec licuit G. Hermanno, quippe qui veram codicum rationem nondum perspectam habere posset, non vero debuerunt Althausius, Dresselius, Schaeferus, qui iam edito Kirchhoffii libro in Dorismum inquisivere. Qui, si verum quaeris, nihil aliud egerunt, nisi ea, quae ille compluribus locis obiter attigerat, accuratius examinarunt et longius persecuti sunt. Quid autem ipse sentiret, G. Hermannus in praef. Hec. pg. 74 his verbis exposuit: „Quis, inquit, hoc temere factum esse arbitrabitur (ut dorico α tragici uterentur) neque certa quadam lege et conditione? Quae lex undenam possit erui, nisi ex ea causa, propter quam omnino in tragoediis adhibetur dorica dialectus? Patet autem id fieri propter animi commotionem, quae quo maior est, eo magis requirit grandiorem atque insolentiorem formam."

Refert igitur G. Hermannus omnia ad πάθος ex eoque legem repetendam esse censet. Sed facile quivis intellegit, quam ea ratione vel incertiora reddat, quae iam incerta sunt. Nam ut mittam, sic omnia de propria cuiusque natura dependere atque fore sine dubio, ut aliis alia probentur: vel uniuscuiusque animus prout afficitur, diversa diversis temporibus decernet, verendumque erit, ne cum nobismet ipsis, nedum cum aliis, perpetuo litigemus. Id accidit etiam G. Hermanno. Nam si quis Euripidis fabulas, quales ex illius recensione prodierunt, perlegat, virum summum demirabitur, quod tam saepe fecit contrarium, ubi potuit idem, aut idem, ubi nobis contrarium videretur faciendum esse. Si fuit revera πάθος, quod in canticis doricum α tamquam distribuerit atque moderatum sit, quanto melius fuit, quae libris traduntur ea omnia servare, quam ipsius sensu, iudice minime integro, modo negare, modo autumare.

Imprimis vero G. Hermannus in praef. Hec. pg. 74 hoc discrimen intercedere putavit, ut in versibus melicis, in dactylicis, in dochmiacis semper tragici Dorici existerent, minus tamen, ut ait ad Ba. v. 903, in glyconeis, praesertim ubi sedatior et tranquillior esset oratio.

Haec ut in omnibus Euripideis fabulis valeant, magnopere

vereor. Glyconei sunt Helenae vv. 1332—1369, dulcissimum illud carmen, quo Magna mater celebratur. Reperies autem in eo doricum α fere tricies usurpatum, unum πηγάς v. 1335 excipitur; sic etiam, ut de multis pauca deligam, in Hipp. versibus 527—564, sic in Iph. T. 1064—1125, in Iph. Aul. 163 sqq., 539—584, in Phoen. 202—240. Quae enim est e. g. in hoc Phoenissarum cantu animi commotio?

Τύριον οἶδμα, ait chorus, λιποῦσ' ἔβαν
ἀκροθίνια Λοξίᾳ
Φοινίσσας ἀπὸ νάσου
Φοίβῳ δούλα μελάθρων (vv. 202 et sqq.) neque hoc uno loco, sed per totum prorsus carmen α praevalet; Vel in Iph A. v. 176 sqq.

— — οὓς — — Μενέλαον
ἁμέτεροι πόσεις
ἐνέπουσ' Ἀγαμέμνονά τ' εὐπατρίδαν
στέλλειν ἐπὶ τὰν Ἑλέναν,
ἀπ' Εὐρώτα δονακοτρόφου
Πάρις ὁ βούκολος, ἂν ἔλαβε,
δῶρον τᾶς Ἀφροδίτας,
ὅτ' ἐπὶ κρηναίαισι δρόσοις
Ἥρα Παλλάδι τ' ἔριν ἔριν
μορφᾶς ἁ κύπρις ἔσχεν.

Vel ib. in vv. 550 sqq.
εἴη δέ μοι μετρία μὲν
χάρις πόθοι θ' ὅσιοι,
καὶ μετέχοιμι τᾶς Ἀφροδί-
τας πόλλαν δ' ἀποθείμαν.

Sed vel eo progressus est Hermannus, ut ubi traditus esset dorismus libris, eum removeret, si ipsius sensui videretur repugnare. Legitur in Bacch. vv. 579 sqq.:

ὁ Διόνυσος ἀνὰ μέλαθρα,
σέβετέ νιν, σέβωμεν, ὦ,

ἴδετε τὰ λάϊνα κίοσιν ἔμβολα
διάδρομα τάδε:
Βρόμιος ἀλαλάξεται στέγας ἔσω.

„Pro στέγας, inquit ille, reposui στέγης. Nam in hoc trochaico numero, si harum rerum aliquem sensum habeo, offensui fuisset forma Dorica.“ Non possum non mirari hoc Hermanni iudicium, neque dubito, quin non multos nactus sit, qui ipsi assentirentur. Equidem certe vel desiderarem α, si casu sublatum esset.

Ut vero illis locis multus est dorismus, licet nulla sit animi commotio, sic saepe vel ita inversa est ratio, ut in uno eodemque carmine eo careas, ubi requiras, contra in plana sedataque oratione nimio vexeris. Comparemus sis eiusdem carminis, ad quod Hermannus illud annotaverat, strophae et antistrophae initia. Legitur enim in Ba. vv. 508 sqq.

— — — (deest primus)
Ἀχελώου θύγατερ,
πότνι' εὐπάρθενε Δίρκα
σὺ γὰρ ἐν σαῖς ποτε παγαῖς
τὸ Διὸς βρέφος ἔλαβες,
ὅτε μηρῷ πυρὸς ἐξ ἀ-
θανάτου Ζεὺς ὁ τεκὼν ἥρ-
πασέ νιν, τάδ' ἀναβοάσας·
ἴθι, Διθύραμβ', ἐμὰν ἄρ-
σενα τάνδε βᾶθι νηδύν.

Multo his graviora, si sententiam respicias, languidiora multo, si dialectum, ea sunt, quae antistropha continentur:

οἷαν, οἵαν ὀργὰν
ἀναφαίνει χθόνιον
γένος ἐκφύς τε δράκοντός
ποτε Πενθεὺς, ὃν Ἐχίων
ἐφύτευσε χθόνιος,
ἀγριωπὸν τέρας, οὐ φῶ-

τα βρότειον, φόνιόν θ' ὥς-
περ γίγαντ' ἀντίπαλον θεοῖς.

Num ab hoc vitio, si vitium est, liberi sint Aeschylus et Sophocles, nihil hic refert. Ut damnetur, si dis placet, solus Euripides immodici dorismi, et in ipso tribuatur pravo iudicio, quod in aliis artis et elegantiae habetur: hoc mihi pro certo videtur constare uni sensui harum rerum iudicium minime deferendum esse. Partem eum habuisse et consultum eum esse a poetis in pangendis carminibus non nego; sed nego ei tantum unquam concessum esse, ut propter ipsum sibi sumerent, quod alioqui nunquam sumpsissent. Qui si gravitatem soni vitare volebant, alia id ratione assequi poterant. Cum enim tanta sit graecae linguae volubilitas, tantaque verborum formarumque copia, quidni Euripides orationem ita versavit, ut et soni tenuitati consuleret, et contra doricam dialectum non peccaret. Ergo στέγας illud in Baccharum versu Hermanno maioris ponderis visum est, quam ut sententiae aptum esset? Potuit poeta, non dicam δόμων, quod tamen exilius non est, si est illud iusto gravius, at στέγους, a quo abest α, in usum suum asciscere. Fecit certe simile aliquid in Hipp. vv. 527 sqq.

Ἔρως, Ἔρως, ὃ[1]) κατ' ὀμμάτων
στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχαῖς χάριν, οὓς ἐπιστρατεύσῃ.

Prorsus assentior, si quis nimium dorismum alienum a summa carminis dulcedine arbitretur, idemque etiam poetam sensisse censeat. Evitavisse enim videtur singularem ψυχᾶ χάριν, ἄν, quod displicebat duri α sonus; ne tamen peccaret contra dorismum, ψυχῇ — ἦν formis atticis pluralem numerum praetulit. Si α doricum adhibendum fuit, quia doricae originis erat totum hoc poesis genus, nunquam adduci potero, ut credam Euripidem in universum huic legi obtemperavisse, interdum vero sibi eius gratiam fecisse, nescientem, ut ait Terentius, quid fa-

1) Corruptus est versus. Cf. pg. 79 sqq.

ceret, aut quid caperet consili. Hoc quovis poeta indignum censeo, nedum Euripide, nedum Aeschylo et Sophocle, neque puto Athenienses, qui vel in rebus minutissimis iudices tam subtiles erant, hoc patienter subituros fuisse, aut poetae necessitatem excusanti condonaturos, cum sententiae causa illorum se sensum laesisse diceret. Permirum denique, vel potius mirum minime est, quod Hermanni opinio fere eis tantum fabulis confirmatur, quas ex unis *BC* libris cognitas habemus. Quanto enim frequentiores sunt in eis librariorum errores, tanto illi saepius ad sensus iudicium refugere licebat.

Iam si in re incertissima certi aliquid assequi velimus, ante omnia distinguamus opertet inter stirpium verborum α, et illud, quod non nisi in flexione eorum apparet. Nusquam autem plus, quam in illis fluctuavit cum Pindari tum tragicorum consuetudo, qui vel multo rarius η in α converterunt quam retinuerunt atque tot verbis propositis, quae et ipsa dorismum pati poterant, hinc illinc pauca decerpserunt. Cur autem spreverint alia, in obscuro est; nam sicut in universo orationis colore, ut vidimus supra, ita in singulis verbis magnopere cavendum est, ne plus aequo isti quam laudat Hermannus gravitati tribuamus. Quae si usus norma fuisset, cur evitavisset poeta, ne unquam ἄσαμος diceret, vel εὔσαμος, παρᾶσαμος, similia, vel μᾶνις, θνάσκω in aliis earundem stirpium vocabulis admittere α nequiquam veritus. Frustra quaeras, si verborum significationes spectes, quidnam intersit inter κρήνη et πηγή, hoc ut dorice pronuntiari possit, non possit alterum; frustra quaeras, unde explicanda sit mira illa in augmento verborum discrepantia, unde tot aliae non minus singulares, quae ex tabula quam composui, comparent. Multa denique sunt verba, quae cum prorsus media sint, dorismum tamen recipiant, ἀγέομαι, ἀμέρα, ἀμός cett. Cur vero abest ab οἰστράω, ζῆλος, κῆδος, θνήσκω cett. gravissimae notionis verbis. Haec et alia id genus nunquam opinor eventurum esse, ut ad certas quasdam leges omnia redigi possint. Nobis illud satis probabile videtur recepisse tragicos e lyricorum usu

ea tantum, quae ipsis lyricis carminibus maxime apud Athenienses pervulgata essent atque peregrina haberi paene desiissent. Iustane igitur ratione necne egerint tragici, cum alia aliis praeferrent, id solis ipsorum aetatis hominibus, quos vita et usus docuerat et semper docebat, recte diiudicare concessum erat. Nobis vero, qui nimio temporis intervallo ab illis remoti simus, accuratior cognitio negata est, cum tragicorum monumenta, quibus pepercit temporum malignitas, doceant solum, quid factum sit, quae fuerit causa ac ratio, reticeant.

Quae cum ita sint, ne illud quidem mirum est, quod nonnulla, quae Aeschylus partimque Sophocles admiserunt, aspernatus est Euripides. Dixerunt hi: κλᾶρος, θνάσκω, ἄμερος, ἄλλαλοι, μαχανά, quae cum aliis antea enumeravimus, at nunquam Euripides ille, quem tamen fucatae gravitati orationis ultra modum studuisse non sine causa arguunt omnes et veteres et nostrae aetatis critici. Nimirum eius rei causa inde petenda est, quod in his rebus de sua quisque aetate poeta pendet. Debebat igitur Euripides eorum potissimum rationem habere, qui fabulas suas spectatum veniebant, non Aeschyli, a quo iam tum temporis Athenienses animos aversos habuere. Nam quod apud hunc grande putabatur atque sublime, aut eius vetustati condonabatur, id sibi si Euripides permisisset, in ludibria certe et reprehensiones incurrisset.

Iam vero haec altera dubitatio oritur, num semel admisso in verbo aliquo dorismo, sibi postea constiterit Euripides, sive constare debuerit. Hoc non dubito optimo iure, ut mihi videor, negare, non quia testes sunt libri, quorum testimonium fallacissimum esse cognovimus; sed licet illud certa ratiocinatione assequi. Etenim si non omnia quae poterant vocabula α dorico insigniebant, sed quae quisque aptissima iudicabat, ea sibi deligebat, non fuit horum verborum numerus certus atque definitus; immo et addi potuerit ei necesse est, et adimi. Quis enim adeo audax esse, aut tantae sibi videri auctoritatis potuit, non ut poesim solum, sed linguam suis legibus adstringere vellet?

Vivit et crescit lingua cum ipsis hominibus similesque atque hi vicissitudines subit. Nam quae hodie colit, mox ut obsoleta reicit, et quae nunc etiam incognita sunt aut nova atque insolita, brevi in cotidianum usum asciscit. Non igitur negaverim potuisse accidere, ut Euripides sui ipsius tamquam dissimilis fieret, et probaret postea, ante quae ut inusitata spreverat. Atque ne omnem animi commotionem tollere videar, vel ipsi hac in re aliquantum concedo, non quo nunc Hermanno obtemperans ab ea omnem dorismum profectum esse putem, terminationum imprimis, sed non nisi de stirpibus verborum loquor, et quodam modo revoco ad has, quae ille in universum iactaverat. Ad istam igitur animi commotionem retulerim, quod nonnunquam praeter consuetudinem doricus Euripides extitit. Cuius rei egregium exemplum habeo Hipp. v. 1135. Chorus cum insonti Hippolyto perniciem instare videat, acerbissimo dolore agitatur:

ὦ τάλαινα
μᾶτερ, ἔτεκες ἀνόνατα, Φεῦ,
μανίῳ θεοῖσιν.

Frustra alia dorismi in voce μανίῳ exempla quaeras, quin, nisi fallor, apud Aeschylum, austerae illum, ut ait Boeckhius, compositionis sectatorem. Num igitur tollendus est? an potius immani illo μανίῳ θεοῖσιν defenditur? Similes sunt Bacch. v. 1024 et Hec. v. 177. Baccharum chorus antea Pentheum regem extimescens nunc eum periisse audit; inde

εὐάζω, clamat, ξένα μέλεσι βαρβάροις.
οὐκέτι γὰρ δεσμῶν ὑπὸ Φόβῳ
πτήσσω. — — — Quantum ab his distant Polyxenae verba, quae nondum, ut Bacchae, metu liberata, sed recenter perterrefacta matris clamoribus e captivarum tentorio prorupit:

μᾶτερ, μᾶτερ, τί βοᾷς, τί νέον
καρύξασ' οἴκων μ' ὡς ὄρνιν
θάμβει τῷδ' ἐξέπτακας.

Si ubique scripturarum discrepantiae tam certo ad sensum revocari possent, omnes dubitationes nostrae facile tollerentur.

Sed eiusmodi exempla rarissima sunt, ac longe plerumque causas frustra disquirere tendimus. Quod ita esse ut doceam, non opus est libros *BC* in auxilium vocare; nam inter ea, quae supra attuli, permulta sunt, quae et plurimorum et optimorum librorum fide firmentur. Mitto nunc verba de γῆ et σῆμα derivata, mitto verborum augmenta, mitto tot alia, tria tantum de larga exemplorum copia promam. Nullo inquam discrimine εὔφημος et εὔφαμος occurrunt; hoc in Io. v. 134:

εὐφ ά μους δὲ πόνους μοχθεῖν
οὐκ ἀποκάμνω.

Ionis sunt verba, qui cotidianos suos labores enumerat, illud cum in Ba. v. 69:

ἔκτοπος ἔστω, στόμα τ' εὔφή-
μον ἅπας ἐξοσιούσθω;

tum, BCGb*B* libris traditum, in Tro. v. 1065:

Φροῦδαί σοι θυσίαι χορῶν τ'
εὔφημοι κέλαδοι.

Habes porro καρύσσω in Hel. v. 1492:

καρύξατ' ἀγγελίαν
Εὐρώταν ἐφεζόμενοι,
Μενέλεως ὅτι Δαρδάνου
πόλιν ἑλὼν δόμον ἥξει,

et κηρύσσω in Or. v. 1550:

ἴδε, πρὸ δωμάτων, ἴδε, προκηρύσσει
θοάζων ὅδ' αἰθέρος ἄνω καπνός.

Illi autem glyconei sunt versus, in quibus vel minorem dorismi usum G. Hermannus statuerat, Orestis dochmiaci; illud uno *C* libro eoque pessimo nititur, hoc tradunt ad unum omnes ABEFc*C*. Simplex autem κηρύσσω e. g. in frg. 775. v. 64 extat, ubi praeco Phaetontis nuptias his verbis renuntiat:

Ὠκεανοῦ πεδίων οἰκήτορες,
εὐφαμεῖτ' ὦ,
ἐκτόπιοί τε δόμων ἐπαείρετε,

ὦ ἴτε λαοί.
κηρύσσω δ' ὁσίαν βασιλήιον

e. q. s. Quis in dorico καρύσσω, si traditum esset, offenderetur, hic certe non minus apto, quam in illo Helenae versu.

Denique ἠλίβατος in Hipp. v. 728 legitur (codd. ABCE abcd *BE*):

ἠλιβάτοις ὑπὸ κευθμῶσι γενοίμαν,
ἵνα με πτεροῦσσαν ὄρνιν
θεὸς ἐν ποταναῖς ἀγέλαις θείη,
ἀρθείην δ' ἐπὶ πόντιον
κῦμα τᾶς Ἀδριηνᾶς
ἀκτᾶς. . . e. q. s.

Nihil profecto a sententiae dignitate officiebat, quin poeta hic quoque ἀλίβατος diceret, sicuti dixit in Su. v. 80 (cdd. *BC*).

ἄπληστυς ἅδε μ' ἐξάγει χάρις γόων,
πολυπόνος ὡς ἐξ ἀλιβάτου πέτρας
ὑγρὰ ῥέουσα σταγών.

Iam vero ut in unum singula complectar, totius disputationis haec summa efficitur. Longe abest, ut credam communes formas, quae hodie in Euripideis fabulis inveniantur, genuinas esse omnes ab ipsoque omnes poeta profectas. Item vero nobis deesse credo potestatem vera a falsis ubique secernendi. Primum enim alia nunquam in tragicorum usum transierunt, alia sero, alia ante recepta postea rursus repudiata sunt. Deinde librorum fidei minime se licet committere. Nam ut *BC* libri fere nihil, sic ceteri omnes non multum valent. Denique in his rebus iudicandis uniuscuiusque sensus omnium iudex incertissimus est. Deest autem paene ubique quaevis alia norma, ad quam emendandi conatus dirigere possimus. Improbo igitur imprimis Dindorfii omnia aequandi studium, neque cum eo ubivis ἀδύς, ἀδονά, ἄδομαι et ἅμαρ et κᾶρυξ, καρύσσω, scribenda esse censeo. Praecipue autem nego ex uno tantum dorismi exemplo omnia, quae ei obsunt, iure corrigi posse, velut ex uno Ζανός (Hipp. 62) vel ab Aeschylo Pindaroque alieno sex illos versus,

qui Ζηνός habent. Potest enim fieri, ut viderit ille verum; sed abstinendum est a coniectando, ubi, non dico verum, sed simile veri esse, quod coniectaveris, comprobare nullo modo possis.

At vero hanc quam desidero verisimilitatem nonnunquam nos assequi posse arbitror. Nam si omnes locos, quibus quodque verbum legatur, in calculos vocemus, quaedam esse verba videbimus, in quibus sexcenties dorismus admissus sit, semel tantum iterumve illi η praelatum. Sunt autem haec: (Cf. tabula pg. 14. sqq.)

ἅλιος sive ἀέλιος (α fere tricies, ter η).
ἀμέτερος (circa quinquies decies, semel ἡμέτερος).
δύστανος (fere tricies, bis η).
θνατός (septies decies, ter θνητός).
μάτηρ (fere centies tricies, octies μήτηρ),
πλαγά (sexies, semel πληγά),
Φάμα (septies, bis Φήμα),
τλάμων (plus quam tricies, bis τλήμων) [1]).

His igitur in verbis non credo temerario nos iudicio uti, si α doricum ubique restituendum censeamus. Neque enim spretum neglectumque consulto ab ipso poeta videtur, ut quod minus sensui sententiaeque conveniret, sed mala librariorum incuria sublatum. Cum denique vel illud accedat, ut η longe plurimis locis tantum *BC* librorum fide munitum sit, de his verbis errari nequaquam potest; ea enim est veri probabilitas, ut paene ipsa sit integerrima veritas. Dubitari potest de aliis quibusdam, veluti de ἀνίκα, νᾶσος, παγά, quae et ipsa semper dorice pronuntiata esse suspicor quidem, at contendere et autumare nolim.

Prorsus idem statuo de compositis, quae pg. 23 sqq. attuli, in quibus modo α, modo η apparet, nisi quod eo incertius est iudicium, quo rariores sunt ipsae formae. Licet igitur ἰσάνεμος

1) In ἀγέομαι, ἀχέω, Ἀθάνα, γαλάνεια, δᾶϊος. Δαμάτηρ, δᾶμος, δαρός, Ἕλλανες, ἰάλεμος, λάθω, Λατῶ, ποτανός, πτανός. σελάνα, σίδαρος, et derivatis etiam libri, etsi non semper omnes, consentiunt.

poeta dixerit et στεφαναφορία, nolim tamen ὑπήνεμος, στεφανηφόρος, ξιφηφόρος, χλοηφόρος alia mutare, aut cum Nauckio Sophocleum ἑκαβόλος transferre in Euripidem expulso vulgari ἑκηβόλος. In γηγενής autem et γηγενετάς fortasse duplex γ ad servandum η valuit, ne aspera vocali α lenis γ sonus interiret, et assimilatio quae vocatur obtunderetur. Similiter enim, ut vidimus, εὐγάθητος et εὐγαθής dicitur, at abest α a γέγηθα perfecto.

Iam vero ad eum dorismi usum venimus, quem ab Euripide in flexione et verbi et nominis admissum esse cognovimus et cuius ratio longe distat a dorismi in stirpibus ratione. Etenim in his cavendum fuit poetae, ne quovis η in α converso apud Athenienses offenderet; at nunquam, ut de verbo primum agam, fieri potuisse credo, ut in ullo verbo dorismus ob soni novitatem sperneretur. Ad similem enim omnia syllabam ea cadere necesse est, sive ad ασω, sive ασα, sive ακα, sive quamvis aliam, neque potuit in verbo quamvis insolito insolita videri etiam terminatio. Abest autem, si librorum rationem habemus, dorismus ab his tantum formis:

ἐξαμιλλησάμενος Hel. 165 (cod. *C*):

ὃν (Τάκινθον) ἐξαμιλλησάμενος
τρόχῳ ἀτέρμονι δίσκου
ἔκανε Φοῖβος.

ἀλάληντο Andr. 305:

μόχθους, οὓς ἀμφὶ Τροίαν
δεκέτεις ἀλάληντο νέοι λόγχαις.

Versus anapaesti sunt, sed lyrici et strophici.

βήσει I. T. 1108 (codd. *B C*):

ἐμὲ δ' αὐτοῦ λιποῦσα βήσει
ῥοθίοις πλάταις.

ἔβησαν Ba. 902 (cod. *B*):

αἱ μὲν (sc. ἐλπίδες)
τελευτῶσιν ἐν ὄλβῳ
βροτοῖς, αἱ δ' ἀπέβησαν.

ἐρευνήσας Hel. 1137 (cod. *C*):

ὅ τι θεὸς ἢ μὴ θεὸς — —
τίς φησ' ἐρευνήσας βροτῶν;

ἐξοδυνηθείς Cy. 654 (codd. *B C*):

τόρνευ', ἔλκε, μή σ' ἐξοδυνηθεὶς
δράσῃ τι μάταιον.

ὀνήσας Su. 373 (codd. *B C*):

εἰ γὰρ — — γᾶν Φίλιον Ἰνάχου
θεῖτ' ὀνήσας.

ὁρμήσας bis, Or. 1283:

τάχα τις Ἀργείων ἔνοπλος ὁρμήσας
μέλαθρα προσμίξει.

et Phoen. 1071:

Παλλὰς, ἃ δράκοντος αἷμα
— — κατειργάσω,
Καδμείαν μέριμναν
ὁρμήσασ' ἐπ' ἔργον.

πηδήσασα Su. 1020 (codd. *B C*) dubium videtur, sicuti στήσουσι I. A. 784 (codd. *BC*).

Non huc pertinent δινηθείς Rhes. 341 et ἐπτοημένος Tro. 560. Nam potius δίνασεν Or. 1457 et ἐπτοάξης I. A. 583 praeter morem dicta sunt. Cf. de his formis pg. 11. sq.

Si igitur praetereamus πηδήσασα et στήσουσι, quae incerta sunt, octo tantum restant exempla, e quibus tria unius *C* libri auctoritate nituntur, et alia tria et *C* et *B*.

Reliqua igitur sunt ἀλάλητο et ὁρμήσας, quae potuisse dorismum pati docent et μέμναται (El. 188) atque πεπότμαι perfecta, et ὁρμάσω, ὁρμάσῃ, ὥρμαθη, alia, quae supra enotavi. Tamen quominus omnia mutarem, illud me deterruit, quod quinquies in eadem terminatione ῃ servatum est, in participio aoristi I activi, in ἐρευνήσας, ὀνήσας Su. 373, bis ὁρμήσας, πηδήσασα. Fortasse enim minus suave ασας visum est poetae, quod bis positam α vocalem bis eadem consonans sequeretur. Quod si ita est, non dubito, quin in Ba. v. 514 non ἀναβοάσας cum *B* li-

bro, quem sequuntur Nauckius et Dindorfius, sed ἀναβοήσας cum altero *C* scribendum sit

In ἀλάλητο denique similem causam latere in aperto est, eademque fortasse fuit, cur Euripides in Iph. A. 788 ἀλλήλας praeferret, quamquam Aeschylus ἀλλαλοφόνος, et Pindarus ἀλλαλοφονία ante ipsum dixerant.

At vero ἐξαμιλλησάμενος illud, et βήσει, et ἔβησαν et ἐξοδυνηθείς sine dubio in formas doricas convertenda sunt. Primum enim et ἁμιλλάομαι habemus in Hel. v. 165, et doricis formis βάσομαι, ἔβασα, ἔβαν cett. nihil est usitatius, nihil frequentius; tum, quaeso, quid valent quattuor illae formae, quae cur excipiantur nullo modo dispicias, quid eae valent prae ingenti contrariarum multitudine? Nam plus quam sexagies α doricum extat in omnibus omnis significationis verbis. Cautius certe agendum esset, si certa optimorum librorum fide atque auctoritate munita essent. Nunc vero, cum uno aut *B* aut *C*, aut etiam ambobus tradantur, quid est, quod dubitemus? Expellendas eas esse censeo, et remittendas, unde profectae sunt, ad librariorum incuriam atque neglegentiam.

De μαν terminatione iam pg. 12 satis dixi. Duae quae oberant formae, ἐφηψάμην El. 1220 (cod. *C*) et παυσαίμην (codd. *BC*), hodie omnium consensu e libris sublatae sunt.

Paulo incertior sum de verbi ἄγω augmento; nam de ἄρχον I. A. 255, 274, cum Euripidis versus non sint, vix opus est quaerere. Septies autem in illo ᾱ, bis η invenitur. Andr. 104:

Ἰλίῳ αἰπεινᾷ Πάρις οὐ γάμον, ἀλλά τιν' ἄταν
ἠγάγετ' εὐναίαν εἰς Θαλάμους Ἑλέναν.

Probo Dindorfium, quod ἀγάγετ' Euripidi reddidit, sed, cur idem ei negaverit in Or. v. 176, non video:

ὑπὸ γὰρ ἀλγέων, ὑπό τε συμφόρας
διοιχόμεθ' οἰχόμεθα. Κτύπον ἠγάγετ', οὐχὶ σῖγα,
σῖγα φυλλασσομένα e. q. s.

Si enim animi commotionem spectes, neque sententiarum gravitatis neque metrorum magnum discrimen est. Quare utro-

que loco, quamquam non sine dubitatione, dorismum restituere malim.

Cum verbis in ᾱω terminatis cohaerent derivata et cognata eis nomina sive substantiva sive adiectiva. Quaeritur, si de eis idem atque de illis iudicandum sit, id quod negare non dubito. Nam verba quidem ipsa terminationum similitudine inter se coniuncta erant, ut facile in omnibus idem α videretur, neque inusitati quidquam in ullo haberet. Derivata autem, veluti ἀλήτης, προγεννήτωρ, μνήμη, συλήτειρα ex omni parte diversa diversa quoque ratione, i. e. per se unum quodque, indicabantur. Mirum igitur non est, quod in alio probabatur α, quod in alio repudiabatur, ut ἀλάτας v. c. bene dictum videretur, at προγεννάτωρ, συλάτειρα, nescio quid alieni sonaret. Unde factum est, ut etiam in adiectivis verbalibus usus fluctuaret. Cf. ἀναύδητος, ἀείμνηστος, ἀνόνητος et ἀνόνατος, sim. pg. 9.

Sive igitur in hac re recte se habent omnia, sive, id quod verisimilius est, mendosa nonnulla sunt, longe tamen praestat nihil omnino mutavisse, quam substituisse dubiis dubia.

Et haec quidem de verbo. Iam si ad declinationes transeamus, brevem esse licet de altera tertiaque; ad illam non nisi Μενέλας, — α, — ᾳ, — αν, ad hanc unum νεότας Herc. f. 637 pertinet. Cf. pg. 8.

Primae vero declinationis eandem esse dico rationem atque verborum in ᾱω exeuntium; ut in his, ita in illius nominibus eaedem semper terminationes apparent neque, opinor, receptum hic α, illic iure reici potest. Ut igitur brevi praecidam, mendosa habeo, quaecunque occurrunt in canticis vulgarium in prima terminationum exempla. Cui sententiae non sum nescius haud pauca esse, quae aut refragentur, aut refragari videantur. Quin mihi ipsi scrupulus primo inhaerebat de singularis et pluralis nn. genetivis, dubitanti, an ου et ων terminationes, quae haud rarae sint, tuendae fortasse essent. Negari quidem non potest, quin ad ου et ᾱ, ων et ᾱν permutanda etiam procliviores quam ad alios errores librarii fuerint. Nam praeterquam quod ᾱ et ᾱν

dorica sunt, ut sint nonnunquam de industria mutata, magna etiam scripturae similitudo inter haec et illa intercedit. Itaque mihi optimum factu visum est, horum genetivorum exempla quotquot sunt colligere, ut ex universo conspectu eo certius evadat iudicium. Animadvertendum autem est me trimetros iambicos, a quibus iure dorismus abest nunc quidem silentio praeteriturum esse, neque illorum locorum rationem habiturum, ubi vera lectio in parte tamen librorum servata est.

Saepissime invenitur:

Ἄιδα Alc. 126, 451, 471, 477, Andr. 1018, Hec. 479. 1082, Med. 968, Or. 1391, El. 123, 143, Hera. 911, Herc. f. 116, 1016, I. T. 169.

alia occurrunt:

Andr. 280, 482, Hec. 188, Or. 997, Tro. 210, 225, Phoen. 354, 805. 1501, 1509, Rhes. 368, El. 201. I. A. 177, 202. Su. 838, Cy. 53, 54, 651 — (ter et tricies).

Contra:

Ἄιδου: Hec. 1056, Hipp. 1380, Tro. 596; praeterea Rhes. 239, Or. 1006, El. 717. (sexies).

Genetivus pluralis n. in $\overline{\alpha\nu}$ terminatur:

Alc. 589, 601, 605, 997, Andr. 286, Hec. 899, Hipp. 150, 739, 1123, 1126, Med. 421, 850, 1252, 1253, Or. 963, Tro. 187, 813, Phoen. 217, 316 bis, 1512, 1718, Rhes. 353, 521, 708, Ba. 120, 142, 983, 1009, Hel. 209, 653, 1110, 1324 bis, 1344 (e Bothii coniectura), El. 204, 710, 715, 1213, Herc. f. 377, 691, Su. 788 (e Personi coni.), I. A. 576, 1039, 1079, 1296, I. T. 142, 162 bis, 179, 192, 414, 853, Io. 464, 891, 1060, 1064, 1070 bis, 1075, Cy. 68 (semel et sexagies).

In $\overline{\omega\nu}$ octies tantum: Andr, 132, 142, Hec. 95 (ubi τῶν propter πολυμόχθων τινὰ Τρωιάδων, quae insequuntur), 890 (ubi eadem corruptelae causa est, τῶν ἀπορθήτων πόλεων), Or. 1250, Hel. 677, Hera. 904, Herc. f. 783.

Ex his igitur facile apparet, et $\overline{ου}$ et $\overline{\omega\nu}$ terminationem, ma-

xime vero hanc alteram perquam tenuis fidei esse. Itaque eas damnavi.

Iam ut ceteros quoque casus in calculos vocemus, nominativus in η̄ terminatur semel in primae classis fabula, Tro. 272, ubi ἡ, quater in aliis, quae solis *BC* libris traduntur:
ἡ Hel. 241,
ἥδε Cy. 361,
γυνή El. 162 (γυνά Aesch. Coeph. 46, Theocr. I, 32),
Φιλτάτη Hel. 637.

Corrupta sunt
μεγαλή Or. 815 (ubi μαίνολις G. Hermannus et Porsonus)
ἡ Phoen. 818,
ἰαχὴ σή Hel. 1146 (ἰαχήσης Herm.)
ἀριθμουμένη Su. 971 (κρινουμένα recte, ut videtur. Reiskius).

Semel in ης̄ nominativus exit:
Πυλάδης Or. 1481.

Genetivus in ης decies:
Hec. 1067 Θρήκης,
Or. 140 ἀρβύλης,
Phoen. 252 μάχης,
Tro. 1058 σμύρνης,
saepius rursus in *BC* librorum fabulis.
El. 140 ἐμῆς,
Hel. 638 τῆς, itemque Su. 1017,
Hel. 353 δέρης,
Herc. f. 657 ἀρετῆς, ib. 1010 Πρόκνης,
Ba. 593 βροντῆς, ib. 970 λύσσης, ib. 545 Νύσης. Singularis est G. Hermanni ad hanc vocem annotatio: „Servavi Νύσης, quamvis mira videri possit communis inter doricas formas. Sed cum in hoc genere tragici saepe aures consuluisse videantur, nihil eis temere obtrudendum puto. Ionica forma, ut epicis usurpata, non est vulgaris visa, ut opinor; hic autem eam, ne quattuor continuo syllabae α haberent (Νύσας ἄρα τᾶς) praetulisse Euripidem puto". Primum mera communis et attica forma est Νύσης; dorica extat in

Cycl. v. 68, οὐδ' ἐν Νύσᾳ μετὰ νυμφᾶν; tum, quod Hermannus α quater repetitum damnat, satis est eiusdem fabulae versum 146 laudavisse πλανάτας ἰαχαῖς τ' ἀναπάλλων.

Mendosa sunt

λεαίνης et λύπης Hel. 381,

τύχης Io. 714.

At vero defendi posse opinor χλιδανῆς Cy. 496 propter totius carminis singularem naturam. Est enim carmen (v. 491 — v. 514) eorum simile, quae inter pocula cani solebant, Anacreonteis versibus compositum, neque in stropham et antistropham, sed in tria inter se paria membra tripartitum. Hanc causam fuisse suspicor, cur poeta dorismum evitaverit (χλιδανῆς 496, πηγαῖς 492, ἥβη 500), in fabula satyrica sibi permittens, quod in severiore tragoediarum compositione negatum fuit. Nam parvi refert, quod idem, ut videtur, etiam in Alcest. cantico 86—112 accidit, quae et ipsa satyricae fabulae loco habetur. Male quidem Kirchhoffius facit, qui chori versuumque distributione mutata modo vulgares modo dorides formas praeferens mire omnia confuderit.

Chorus finitis anapaestis inde a v. 86 in duo hemichoria, *A* et *B*, discedit; illius versus sunt 86—88, et 100—102, huius 89—92 et 103—106. Qui sequuntur anapaesti etiam a Kirchhoffio recte distributi sunt. Iam vero illud elucet, ea quae a primo utriusque strophae hemichorio ob iambicum rhythmum declamantur magis quam cantuntur, carere dorismo (πυλῶν et πηγαῖον); alterum tamen hemichorium, quod illius verba excipit, dorica dialecto uti (μάν, ἄτας, χαίτα, quod habet optimus C codex). Hoc vero ideo poeta sic instituit, ut maior animi excitatio, quam produnt et verba et numeri, dialecto etiam augeretur.

Dativus in η̄ terminatur

Hel. 158 πῇ,

Hipp. 210 κομητῇ,

Med. 986 ἄλλῃ,

Rhes. 818 εὐφρόνῃ,
Io. 123 θοᾷ.

Corruptum est ἥτε
I. A. 569.

Accusativus in ην̄:
Or. 1417 τήν,
Alc. 236 δέρην.

In deterioris classis fabulis inveniuntur (codd. *BC.*):
τήν Cy. 650 (id saltem, ait G. Hermannus τάν scribendum erat, quamquam ipse et tot alia et paulo ante, in v. 361, ἥδε silentio praetermisit).
τήν Su. 813, sed dubium est.
τήνδε I. T. 433.
Μηριόνην I. A. 199.
μνήμην I. A. 296.
δέρην Ba 854.
δείρην Io. 1068, ad quod haec G. Hermannus: „Ne quis δείραν scribendum putet, meminerit, non inveniri hanc formam apud tragicos, licet eidem saepius δέρα dicant. Scilicet δείρη, ut epica forma, epicam dialectum retinet, neque indiget, ut poetica videatur, dorismo.“ Parum id recte. Multae enim sunt epicae formae, quae tamen α recipiant, velut ἠέλιος, ἠώς, κούρη, aliae; tum vero ipse Hermannus in Hipp. v. 765 praeeunte Marklando δείρᾳ, quod exigit metrum, restituere veritus non est.

Haec fere sunt, quae in undeviginti fabulis inveniantur. Comparemus cum eis ingentem doricarum formarum multitudinem, non quidem omnes, quae paene innumerae sunt, sed ita, ut paucas tantum fabulas perlustremus. Atque in Phoenissis, ut huic exordiar, fere centies septuagies in primae nominibus dorismus apparet, in Iphigenia T. plus quam centies vicies, nec minus saepe in Aulidensi; fere centies in Oreste et etiam saepius in Hercule fur., eademque est denique in ceteris fabulis α dorici frequentia. Quid igitur hinc sequitur? Nonne in propa-

tulo est communes formas non tam ab ipso poeta admissas esse, quam profectas e levium librariorum errore? Nostrum igitur est eas tollere, cum defensionem non habeant, et restituere, quae iniuste sublatae erant, i. e. doricas.

Iam vero restat, ut etiam trimetrum iambicum paucis attingamus.

Duplex est trimetri extra diverbium usus; aut enim cum lyrica carminis parte ita cohaeret, ut separari nequeat atque omnes quas illa doridis dialecti conditiones subeat, aut cum natura sua, qua potissimum in dialogo locum habet, etiam Attici sermonis colorem servat. Quod imprimis usu venit in lyricis, ut ita dicam, diverbiis, quae in duas partes facile dividas. Aut enim altera persona non nisi trimetris loquitur, cum alterius oratio metris lyricis adstringatur, aut promiscue utraque modo his modo illis numeris procedit. Illud cum accidit, trimetros carere dorismo vel per se necessarium est, cf. Andr. 808 sqq., Hipp. vv. 570 sqq., Tro. vv. 240 sqq., Hec. 671 sqq., vel Io. v. 1503 ὦ δεῖνα τλᾶσα μῆτερ et Herc. f. v. 1171 εὔφημα φώνει, in frustis trimetrorum.

Nonnunquam tales trimetri stropharum partes efficiunt, sed quoniam declamantur, non eadem strophicae responsionis severitate coercentur. Sic in Alcestide (vv. 252 sqq.) duo stropharum paria ex lyricis versibus Alcestidis et Admeti trimetris constituuntur. Illius oratio et dorica est, et accurate inter se metris congruit; at hic attice loquitur responsionis lege non impeditus. Cf. e. g. vv. 254 sq.

ὁρᾶ σε κἀμὲ δύο κακῶς πεπραγότας
οὐδὲν θεοὺς δράσαντας, ἀνθ' ὅτου θανεῖ,

et qui eis respondent vv. 260 sq.

ἔπαιρε σαυτήν, ὦ τάλαινα, μὴ προδῷς,
λίσσου δὲ τοὺς κρατοῦντας οἰκτεῖραι θεούς.

Idem accidit in Orestis cantico, vv. 1247—1263. Bis bini in eius strophis trimetri sunt attica lingua concepti, ideoque minime inter se pares.

Plerumque in lyrico diverbio ita admittuntur trimetri, non ut per se singuli ponantur separati et dissoluti a metris melicis, sed ut his ipsis intermisceantur. Dissimiles tamen atque diversi ab his eo sunt, quod et ipsi tum dorismo carent, tum, strophici ubi sunt, severiore responsione. Eiusmodi trimetri occurrunt Andr. vv. 1176, 1180, 1183, 1185, 1187, 1189, 1192, 1195, (1176—1184 = 1189—1196). Nullus horum versuum doricas formas, duo communes praebent,

v. 1189 *μάτην δέ σ' ἐν γάμοισιν ὤλβισαν θεοί,*

et v. 1195 *σύ τ' ὦ κατ' ἄντρα νύχια Νηρέως κορή.*

Etiam in Phoenissarum fabulae scena, quae *τειχοσκοπία* vocatur, omnes Antigonae trimetri doricum *α* prohibent, quamquam cum lyricis versibus arctissime cohaerent. Versus sunt 130, 144, 161, 171, 178. De *αὔδασον* v. 123 cf. pg. 21.

Dochmiis interiecti sunt in eodem dramate vv. 1346 et 1349, in quibus *δύστηνος* occurit.

In Rhesi versibus 682—699 = 700—717 quini in strophis sunt trimetri v. 687:

ὅστις δι' ὄρφνης ἦλθ' ἀδειμάντῳ ποδί = 705
βίου δ' ἐπαιτῶν εἶρπ' ἀγύρτης τις λάτρις,

et v. 691: *ἣ νησιώτην σποράδα κέκτηται βίον* = 709
ἔβαζε δῆθεν ἐχθρὸς ὢν στρατηλάταις.

E ceteris *μήν* v. 695 et *τῆσδε* 717 notanda sunt.

Neque magis sibi respondent trimetri in Heracl. strophis 73—92 = 93—110, neque 73 et 93, nec 77, 78, 79, 80 et 97, 98, 99, 100, qui etiam *η* servant in *ἕστηκε, γῆ, δύστηνον*, nec 84 sq. et 105 sq., qui habent *νησιώτην, σήν, γῆς, τῆδε*, nec denique 88 sq. et 109 sq., in quibus *τῆς* habes et *παραστάτην*. Nimirum hi trimetri propius ad dialogi, quam ad lyrici carminis naturam accedunt, tum tamquam totius orationis fundus sunt, unde graviter commotus animus ad excitatiores rhythmos, dochmios imprimis ascendat, aut quo revertatur rursus, ubi remissior factus est atque sedatior.

Sed paulo longius progressus Euripides hos trimetros etiam

tum usurpat, ubi non est inter plures diverbium, sed oratio uni personae continuatur. Plerumque ei non singuli, sed bini ternive inferuntur, ut ne tum quidem ipsi intĕr versus lyricos sed hi inter illos interiecti esse videantur. Qui trimetri facillime agnoscuntur, cum antistrophici sunt; nam, id quod mirum est, ne in hos quidem severae illius responsionis lex cadit.

In Hipp. vv. 813—824 = 831—842 inter dochmios hi trimetri sunt: v. 815 sq.

ὥς μοι βαρεῖα καὶ δόμοις ἐπεστάθης,
κηλὶς ἄφραστος ἐξ ἀλαστόρων τινός,

qui, si syllabarum quantitatem spectes, non congruunt cum vv. 833 sq. attica lingua conscriptis: τῆς σῆς στερηθεὶς Φιλτάτης ὁμιλίας et ἀπώλεσας γὰρ μᾶλλον, ἢ κατέφθισο.

Prorsus idem conspicitur in 819 sq. (τῆσδε) = 837 sq. (μάτην) et 823 sq. (Ἅιδου) = 841 sq. (τλητόν, ἀπωλόμην), tum in Or. strophis 1345—1358 = 1545—1558, ubi bina habes communium trimetrorum paria, 1348 sq. = 1548 sq., et 1352 sq. = 1552 sq.

Optime totius rei ratio e Phrygis enarratione Or. vv. 1345 sqq. cognoscitur. Quae cum ut tot aliae nuntiorum narrationes unis trimetris concipi posset, terroris magnitudo efficit, ut servus vividioribus et verbis et numeris immane Orestis Pyladisque facinus describat. Itaque pro meris trimetris carmen quoddam lyricum habemus, in quo praevalet tamen iambicus rhythmus, neque desunt trimetri. Ad hos tamquam sua sponte revertitur oratio in vv. 1406, 1442 sq., 1471 (ubi δέρην), 1476, 1477 (βοηδρομοῦμεν et στέγης), 1479, 1483, 1492, 1506.

Aliud exemplum Medeae vv. 1267—1281 sunt, ubi chorus dochmios his alternat trimetris 1273 sq.:

Ἰνὼ μανεῖσαν ἐκ θεῶν, ὅθ' ἡ Διός
δάμαρ νιν ἐξέπεμψε δωμάτων ἄλη.

1277 sq:

ἀκτῆς ὑπερτείνασα ποντίας πόδα
δυοῖν τε παίδοιν συνθανοῦσ' ἀπόλλυται.

Cum his comparari possunt Hipp. vv. 363—373. Ut ibi, sic hoc quoque loco dochmiis bis interponuntur trimetri, v. 370:

ὄλωλας, ἐξέφηνας εἰς φάος κακά.

et 373

ἄσημα δ' οὐκέτ' ἐστὶν, οἳ φθίνει τύχη.

Ἄσημα illud omnes libri tuentur, at vero τύχη cum *C* solus optimus ille C, quem laudibus tollit Nauckius; ceteri τύχα. Praetulerim ego τύχη et ob Medeae versuum similitudinem et quod prorsus Euripidis est, consociare diverbii trimetros attice scriptos cum dochmiis. Satis est eis, quae iam attuli, addere Io. v. 692 = 710.

αὐτὴ δ' ἅπαις ἦ, καὶ λελειμμένη τέκνων =
νῦν δ' ἡ μὲν ἔρρει συμφοραῖς, ὁ δ' εὐτυχεῖ.

et Phoen. vv. 1345—1351, ubi δύστηνος legitur, et chori in Electra vv. 1168 sq., ubi χειρουμένης.

Alterum genus trimetrorum est, qui ut versus lyrici dorismum patiantur; quorum numerus cum illis si comparatur, haud ita magnus est. Raro autem fit, ut plures deinceps se insequantur, cum singuli potius lyricis, principatum qui obtinent, intericiantur. Itaque ab his et colorem doricum trahunt et eadem responsionis lege continentur. Cf. e. g. Hec. v. 643.

Λάκαινα πολυδάκρυτος ἐν δόμοις κόρα

vel Tro. 1076.

ἄθαπτος, ἄνυδρος, ἐμὲ δὲ πόντιον σκάφος,

qui accurate respondet versui 1092.

δίπαλτον ἱερὸν ἀνὰ μέσον πλάταν πέσοι.

et ibid. v. 1081.

δάκρυσι κατάρα στένει, βοᾷ, βοᾷ

= v. 1097.

χάριτας ἔχουσα τυγχάνει Διὸς κόρα.

Simillimi sunt Or. versus 952 sq. = 963 sq., et 955 = 966, et 958 = 969, in quibus bis βέβακεν, ἁ, σίδαρον, at nulla communium formarum invenitur.

Latius horum trimetrorum usus patet in extrema Electrae fabula. Perpetrata caede Electra et Orestes, quos iam sceleris paenitet, matrem deplorant, ita ut alter alterius verba invicem excipiat. Poterat igitur, ut assolet in lyrico diverbio, attica dialectus servari, et servata sine dubio esset, nisi propter ingentem animorum commotionem aptius visum esset poetae, ut ad austeriorem sententiarum gravitatem austerior etiam verborum sonus accederet. Dorici igitur sunt trimetri 1182 sq. = 1197 sq., 1205 = 1211, 1208 sq. = 1214 sq., 1217 = 1223 neque ulla extat in eis forma communis. Ut enim repetam quod iam iterum iterumque contendi atque, credo, demonstravi, ubi Euripides alterutram dialectum praetulit, evitavit formarum, ut ita dicam, farraginem; ubi utramque adhibuit, suis quamque finibus certa quadam ratione separavit; nunquam ad libidinem et promiscue formas confudit. Plerumque trimetrorum natura etiam librorum auctoritate distinguitur atque illustratur, sive η tradunt sive α, neque in undeviginti fabulis nisi paucissimos errores deprehendi. Ac primum quidem dubii videntur Andr. v. 479

ἔδειξεν ἡ Λάκαινα τοῦ στρατηλάτα
Μενέλᾱ e. q. s. et v. 481.
κτείνει δὲ τὴν τάλαιναν Ἰλιάδα κόραν.

Aut ᾱ et τάν, aut στρατηλάτου (quod vel *BC* libri habent) et κόρην (ut e. g. Andr. 1195 in cantici trimetro) scribendum est. Si res per se spectatur, facile adducaris, ut reponas dorismum; tum vero necesse est versus accurate cum strophicis congruere. Quod in priorem quidem cadit, respondet v. 473 πνοαὶ δ' ὅταν φέρωσι ναυτίλους θοαί, non cadit in alterum eiusque antistrophicum 475: σοφῶν τε πλῆθος ἀθρόον ἀσθενέστερον.

Itaque στρατηλάτου et κόρην praefero, quorum illud propter insequentis versus Μενέλα mutatum esse puto.

Dorismus expellendus est etiam ex Alc. v. 227:

ἔξευρε μηχανάν τιν' Ἀδμήτῳ κακῶν

non quod in antistrophae v. 240:

ἥ δ' ἐκ δόμων δὴ καὶ πόσις πορεύεται —

ἥδε legitur, quod ipsum eodem iure mendosum existimes; sed hic quoque metrorum minus exacta responsio cum formis atticis adversus α facit. Si quis igitur servare μηχανάν velit, non solum ἅδε scribat necesse est verum etiam metro consulat.

In Troad. strophis 1292—1308 = 1309—1325 trimeter traditur

v. 1302 δούλειον ὑπὸ μέλαθρον·
Χορ. ἐκ πάτρας γ' ἐμᾶς
= 1319 ἔνοσις ἅπασαν, ἔνοσις
Χορ. ἐπικλύσει πόλιν.

Et hic restituendum est η in ἐμᾶς illo. Profecta est corruptela e πάτρας nominis sono.

Restat ut Herculis fur. canticum, vv. 866—896, paucis attingam. Quattuor in eo trimetri iambici sunt:

v. 871 βέβακεν ἐν δίφροισιν ἁ πολυστόνος.
v. 882 κατάρχεται χόρευμα τυμπάνων ἄτερ.
v. 886 Φυγῇ, τέκν', ἐξορμᾶτε· δάιον τόδε·
v. 895 θύελλα σείει δῶμα· συμπίπτει στέγη·

In primo igitur formae dorides sunt, atticae in 886 et 895. Hoc mihi olim non ferendum esse videbatur, quia versus unius omnes carmniis essent, nulla strophica responsione in varia membra distributi; itaque putabam etiam eandem in omnes dialectum convenire. Nunc vero non dubito, quin vv. 886—889.;

Φυγῇ, τέκν', ἐξορμᾶτε· δάιον τόδε,
δάιον, μέλος ἐπαυλεῖται·
κυναγετεῖ τέκνων διωγμόν·
οὔποτ' ἄκραντα δόμοισι Λύσσα βακχεύσει.

et 895—898.

ϑύελλα σείει δῶμα, συμπίπτει στέγη·
ἦ ἦ,[1] τί δρᾷς ὦ παῖ Διός[2])
μελάϑρων τάραγμα ταρτάρειον ὡς ἐπ᾽
Ἐγκελάδῳ ποτὲ Παλλὰς εἰς δόμους πέμπεις.

olim stropha et antistropha fuerint. Primum enim, ut a fine incipiam, quid est μελάϑρων — δόμους? Frustra exempla quaesivi, quibus talis verborum coniunctio confirmaretur. Si Euripides, quem concedo sermonis ubertatem perquam in deliciis habuisse, duas illas voces voluisset coniungere, non tam μελάϑρων δόμους, quam δόμων μέλαϑρα dicere debebat. Nam illud, si quaeris, totum, μέλαϑρον nihil aliud quam partem significat. Cf. Aesch. Agam. v. 957.

εἶμ᾽ εἰς δόμων μέλαϑρα πορφύρας πατῶν.

Accedit vero illud gravissimum, quod non genetivus sed dativus sing. μελάϑρῳ et in codice et in apographis exaratus est; μελάϑρων emendatio est Pflugkii. Igitur a vero non aberrare videor, si μελάϑρῳ sive coniecturam sive correcturam esse dico librarii, qui Ἐγκελάδῳ illud non perspiciens quid esset, sub corrupto, ut putabat, verbo latere iudicavit μελάϑρῳ; id supra lineam scriptum, aut adpictum in margine postea in ipsum textum invasit.

Tollatur rursus, iam responsio restituta erit.

Stroph. φυγᾖ, τέκν᾽, ἐξορμᾶτε, δάιον τόδε,
δάιον ἐπαυλεῖται μέλος·
κυναγετεῖ τέκνων διωγμόν·
οὔποτ᾽ ἄκραντα δόμοισι Λύσσα βακχεύσει.

Antistr. ϑύελλα σείει δῶμα, συμπίπτει στέγη.
ἦ, ἦ, τί δρᾷς ὦ παῖ Διός;

---

1) Deest ἦ ἦ in cod. (unus *C* est), sed in apogr. Paris. extat.

2) „ὦ διὸς παῖ cod. sec. Furiam; ὦ παῖ διός app. Paris. primum et secundum, ὦ διὸς παῖ (β α) tertium, unde sic legi in archetypo consentaneum.“ Kirchh.

τάραγμα ταρτάρειον[1]) ὡς ἐπ'
Ἐγκελάδῳ ποτὲ Παλλὰς εἰς δόμους πέμπεις.

Nihil mutavi, nisi quod in stropha μέλος ἐπαυλεῖται transposui; δαΐον respondet ⏑̆, ⏑̆, si minus exacte fortasse, recordandum est deesse ⏑̆, ⏑̆ in codice. (V. not. pg. 55).

Pro certo autem habeo etiam reliquam cantici partem antistrophicam fuisse; sed omnes emendandi conatus irritos fore puto, si, ut fecit Dindorfius, duorum trimetrorum (v. 871 βέβακεν — et v. 881 κατάρχεται) ratio non habeatur. Verisimile est, ut alterum illud par, ita hos quoque versus sibi invicem olim respondisse.

---

1) Kirchhoffius, ut dochmios efficeret, παῖ μελάθρων τάραγμα ταρτάριον ὡς scripserat, ex prava Hartungi coniectura. Nam dochmii formam ⏑̆ – ⏑ – ⏑ hodie constat a tragicis evitatam esse.

Pars II.

De anapaestorum dialecto doride.

Omnis de dialecto tragoediae graecae quaestio imperfecta videatur necesse est, nisi praeter cantica ei quoque versus accuratius examinentur, qui et rhythmo et argumento medium quoddam inter lyrica et diverbia teneant. Versus enim anapaesti — nam de his pauca disserere in animo est — tantum abest, ut raro hic illic melicis intermisceantur, ut tota ex eis systemata et ex his rursus tota carmina componantur. Quod imprimis in Euripidem cadit, qui ut prae ceteris multis virtutibus excellit, in oeconomia quae dicitur tragoediae parum curae posuit.[1]) Quo enim brevior est in canticis, ut nonnunquam angustia spiritus premi videatur, eo infatigabilior in anapaestorum systematis incedit, haud raro usque ad nauseam eis indulgens.

Dialecti horum versuum ratio duplex est. Cum enim eorum natura et diverbio finitima sit et melico carmini, concedendus eis est et merus ille atticorum hominum sermo, neque recusandae epici doricique licentiae. Quod ita esse facile ex quavis Euripidis fabula cognosci potest. Illud vero quaeritur, sintne certae quaedam leges, quibus discernantur dialecti, an sint attica, dorica, epica nullo discrimine inter se mista. Utra probanda videretur harum sententiarum, haud difficile esset diiudicare, si anapaestorum versuum usus unus semper atque idem constaret.

Nunc vero cum variae sint eorum conditiones, variatur et his accomodatur etiam ipsa oratio. Necesse est igitur, priusquam progrediamur, anapaestos quotquot sunt apud Euripidem, indagare atque, si fieri licet, in certum quendam ordinem redi-

1) Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατος τῶν ποιητῶν φαίνεται. Arist. poe. 13.

gere. Nam tum demum, ubi hoc factum erit, de dialecto integre iudicari poterit.

Atque ut hinc exordiar, noti sunt illi quos ἐμβατήρια vocant anapaesti, a poeta ipsis personis quae prodeunt attributi. Alc. 29—37 (prodit Thanatus), 77—85, 873—940 (quattuor Admeti prodeuntis systemata sunt), Hec. 60—96, 97—151, Ion. 82—111, Hipp. 1272— 1284, Tro. 98—152.

2) Anapaesti iungendis finiendisve scenis inserviunt; aut enim novae personae adventum chorus, sive quisquis est, annuntiat, aut ea quae antea vidit et audivit, tamquam in iudicium vocat, et animi sensus aperit. Plerumque, ut fert rei natura, utrumque in eisdem versibus coniungitur.

Prodire personas indicant: Andr. 485—491 (καὶ μὴν ἐσορῶ); ib. 1139—1145 (καὶ μὴν — στείχει), 1197 — 1202; Alc. 246—251; Hipp. 168—174 (ἀλλ' ἥδε —); Or. 340—347 (καὶ μὴν ὅδε — στείχει), 1010—1016 (καὶ μὴν ὅδε — ἕρπει); Phoen. 1485—89; Rhes. 368—376, 875—882; Tro. 232—236 (καὶ μὴν ὅδε — στείχει), 569—579, 1106—1111; El. 987—997, 1228—1233; Herc. f. 440—447; I. A. 586—602, 1616 sq. (καὶ μὴν στείχει); I. T, 442—452 (ἀλλ' οἵδε — χωροῦσι); Io. 1246—1251 (quibus chorus Creusam prodeuntem alloquitur); Su. 797—802 (ἀλλὰ — λεύσσω), 984—993 (καὶ μὴν ἐσορῶ), 1120—1128.

Abeuntis incessum prosequuntur et finem imponunt a) scenis: Alc. 753—758; Med. 359—365, 754—758, 1069—1104; Tro. 784—800, 1240—1250; Cy. 480—490; I. A. 1612—1615; Hera. 287—296. Huc referri possunt eiusdem fab. vv. 700—706. Iolaus servum abire iubet, ut arma sibi ex aedibus afferat. Qui dum decedit de scena, chorus senem, ne dimicare velit, paucis adhortatur; quibus ubi Admetus quoque preces suas adiunxit, scena finitur.

b) toti fabulae:

Alc. 1162 sqq., Andr. 1256 sqq., Ba. 1381 sqq., ut brevis sim, praeter Ionem, Cyclopem, Troades fabulas, in reliquis omnibus.

3) Trimetrorum iambicorum munere funguntur anapaesti in dialogo usurpati: Alc. 93—100 = 107—113, 283—290 (Admeti sunt, qui antea trimetris iambicis locutus erat); Andr. 505—511, 526—533, Hipp. 175—266, Med. 97—148, 1378—1408; Rhes. 1—40, 725—745, Ba. 1336—1381, El. 1288—1353, I. A. 1—48, 117—161, 1278—1284.

4) Quarto loco posui anapaestos carminum lugubrium, velut Hec. 151—213, Hipp. 1338—1380, Tro. 152—231, Io. 867—927, I. T. 142—227, quibus nunc adicio, quamquam paulo diversi sunt, Io. vv. 144—184, et I. T. 123—141.

Brevem esse licet de singulis versibus anapaestis, qui hic illic lyricis intermiscentur. Ut totum carmen, ita et ipsi dorice conscripti sunt, v. g. Hec. 1076 sqq., Or. 1395—98, Phoen. 162 sq., 828—830, 1291, I. A. 1319—29, Med. 133, 149—151, 174—176.

Quattuor igitur genera anapaestorum sunt, in quibus diversa dialectorum ratio clare et distincte apparet; ei enim, qui primis tribus continentur, in universum dorismum non agnoscunt; quartum vero genus eodem loco atque lyricae partes tragoediae habetur. Respondet huic dialectorum discrimini etiam metrum. Nam cum omnis longior oratio, quae anapaestico numero procedit, in systemata dividatur, illorum systemata dimetris acatalecticis consistunt et singula singulis paroemiacis concluduntur; unde eis legitimorum nomen inditum est. At in alterius generis anapaestorum systematis acatalectici versus rarissimi sunt; abundant catalectici, plerumque, quo maior animi tristitia exprimatur, spondeorum numero adstricti. Notissima haec omnia sunt et in Westphalii libro satis exposita.

Illa vero lex in universum ab Euripide constituta saepenumero ab eodem infringi videtur. Mitto nunc librorum varias corruptelas, de quibus mox plura. Ipse poeta ex altero in alterum anapaestorum genus modo subito tamquam transilit, modo lento decursu, ut vix animadvertas, translabitur. Qua igitur lege, si modo est lex, huiusmodi vicissitudines regi existimemus? Si

ista, quam iam supra refutavimus, animi commotione, eadem atque in canticis mala apparebunt, ut scilicet confundantur omnia. Quamquam ne hic quidem ea prorsus spernenda est, sed removeri debet primario loco et relegari ad secundarium. Totius rei cardo potius in ipsorum anapaestorum natura vertitur, e qua non singuli admittuntur versus, sed coniunguntur in systemata in se ipsis absoluta atque perfecta. Nam paroemiaco versu unumquodque systema et ipsum concluditur et a ceterorum conexu seiungitur. Duo sunt, quae hinc consequi videntur. Primum enim probabile est eandem in eodem systemate dialectum servari. Aut enim nullum est in anapaestis dialectorum usus discrimen, ut liceat poetae pro arbitrio quaevis miscere, aut si est, conspiciatur necesse est in eis saltem partibus, quae cum paucissimis versibus constent, minimum, ut dicunt arithmetici, totum efficiunt. Deinde — hoc enim alterum est, — systemata pro se quodque aestimari et diiudicari debent, neque quidquam ex altero in alterum transferri. Immo fieri posse apparet atque permissum esse poetae variare dialectos in eodem carmine, sive alternis systematis, sive interposito longiore intervallo.

Satis probabilia videntur, quae concludendo adhuc effecimus, quae tamen vana sunt, si refutantur ipsius poetae usu. Sed ut in hac re bene statuamus quatenus, non convenit disputationem in universum evagari. Itaque omnes quos supra enumeravimus anapaestos singulatim nunc examinabimus, similia ut colligantur, explicentur et defendantur contraria, falsa denique, si quae tradita sunt, melius cognosci atque refutari possint. Qua in re eundem ordinem etiam nunc servabimus.

Et primum quidem dixeram anapaestos ab ipsa persona, quae intret, declamatos attice consciptos esse, id quod comprobant:

Alc. vv. 29—37 (τῇδε bis, τέχνη, ἥ, ὑπέστη, αὐτή);

ib. 77—85 (φθιμένην, ἀρίστη, γυνή, αὐτῆς);

Hec. 97—151, ubi fere viginti octo formas communes habes;

Io. 82—111, ubi duodecim.

Dorismus semel extat in Hipp. vv. 1272—1284. Diana Theseum alloquitur:

σὲ τὸν εὐπατρίδαν Αἰγέως κέλομαι
παῖδ' ἐπακοῦσαι,
Λητοῦς δὲ κόρη σ' Ἄρτεμις αὐδῶ.

Doridem formam εὐπατρίδαν servavit Dresselius pg. 28. Insigniorem enim ideoque aptiorem esse ait, quia Theseum regem dea alloquatur. Quodsi verum est, satis mirari non possum, quod se ipsam Diana Λητοῦς κόρην vulgari modo appellat. An id consulto fit, quo summa deae modestia cognoscatur? Officiunt dorismo etiam ἄτην v. 1278, γῆς v. 1279, πτῆνος v. 1281 Haud rarus autem est alter librariorum error, ut eo saepius anapaestis α doricum falso obtrudant, quo magis sunt prodigi in melicis η attici. Innumera sunt eius vitii exempla, sed sufficit e paucis discere omnia:

Hec v. 61 libri ABEbc*C* τήν habent, unus F perperam τάν. ib. 103 ἀραμένα vel A cum EF.

155 Ἑλλάνων AB (m') Fc*C*, soli Eb Ἑλλήνων a nullo, quantum scio, in suspitionem vocatum.

147 F*C* ὀρφανάν (pro ὀρφανόν).

Hipp. (codd. ABCE abcd *BC*).

v. 193 γᾶν (A) Ec,

v. 194 ἀπειροσύναν AE*BC*,

v. 1281 qui ipse eorum est, de quibus nunc maxime agitur, πτανός in d*C* libris extat.

Alc. (codd. BC abcd *ABC*).

v. 754 ἀρίστα *BC*,

v. 758 νύμφᾳ *BC*,

v. 915 λίμναν *B*,

Med. (codd. BCEF abcd *BC*).

v. 99 μάτηρ *BC*,

v. 171 θνατοῖς *BC*,

v. 187 ἐμάν *C*,

v. 1099 Ἄιδαν *B*.

Andr. (codd. ABCDE abcd *BC*)

v. 488 δύστανε *BC*.

Rhes. (codd. BCD bc *ABC*)

v. 726 στυγνοτάταν *A*,

v. 743 ὀλοίμαν *C*,

v. 559, 669, 687 in trimetris tetrametrisque iambicis ὄρφναν et ὄρφνας *AB* habent.

Tro. (codd. BCG b *AB*)

v. 68 κεφαλά BC.

Vides igitur maxime obstinatum esse in α dorico pessimum illud librorum par, *BC*, non quo careant culpa ceteri, sed pro sua quisque parte eiusdem vitii reus est. Quid mirum igitur, si etiam illud εὐπατρίδαν librariorum neglegentiae imputare malim, quam Euripidis inconstantiae, cum praesertim in carmine lyrico, quod praecedit, α vocalis tam saepe audiatur:

(γᾶ —, τὰν Ἄλιος αἰθομέναν δέρκεται
ἄνδρας τε· συμπάντων δὲ
βασιληίδα τιμάν, Κύπρι,
τῶνδε μόνα κρατύνεις).

Vitio infecti sunt etiam Alc. v. 873—940.

Admetus in scenam prodiens mortem coniugis deplorat. Eius anapaesti, intercisi chori versibus, in quattuor systemata dividuntur. Una tantum est inter viginti fere communes dorica forma, πῶς ἂν ὀλοίμαν in v. 876. Iam cum in versu proximo B bcd libri ποῖ στῶ, unus *C* πῆ στῶ habeat, (de ceteris nihil constat), haec Dindorfius: „Incertum est, inquit, utrum πᾷ — ὀλοίμαν, an πῇ — ὀλοίμην scripserit poeta. Legitur quidem Hec. 1057 πᾷ στῶ, πᾷ βῶ, πᾷ κέλσω, sed in anapaestis spondiacis, quorum propria est dialectus dorica.“ Primum igitur inutile fuit exemplum afferre, quo nihil probetur; tum vero mira est Dindorfii sententia, ut nihil possit supra. Cum enim ipse id ubique egerit, ut versicolor formarum varietas e canticis tolleretur, nunc in idem systema dorismum bis infert, at

μήτηρ et συλήσας et Ἄιδη, quae statim insequuntur, intacta relinquit. Removendus potius est dorismus in ὀλοίμαν verbo, e canticis, in quibus nihil eo usitatius est, perperam huc illatus. De πολυάχητος, quod in quarto systemate legitur, pg. 22 dictum est.

Difficillimi sunt Hec. vv. 60—96.

Multus est de eis Dresselius pg. 36, ut eos in duas partes distribuendos esse demonstret, 60—68 et 69—96, quarum prior careat dorismo, habeat altera. Quamquam ipsa haec altera pars communibus formis abundat; habet μῆτερ v. 71 et τήν v. 78, et Θρήκην ib., pro quo etsi minime Θρᾴκαν cum G. Hermanno (v. pg. 27), at saltem Θρήκαν dicendum erat. Aversantur autem α etiam vv. 73 sq.:

ἦν περὶ παιδὸς ἐμοῦ, τοῦ σωζομένου κατὰ Θρήκην,
ἀμφὶ Πολυξένης τε φίλης θυγατρὸς δι' ὀνείρου,

quare Dresselius eos a toto systemate resecat, dumque huic dialectum doridem concedit, illis medio systemati interpositis atticam conservandam esse censet. Nec tamen fugere cum potuit, arctissime versus dactylicos cum anapaestis cohaerere, ab eisque dorismum, si modo et ipsis esset, recipere debuisse; recepit certe α simili de causa alterum hexametrorum par: vv. 87 sq.

εἶδον γὰρ βαλιὰν ἔλαφον λύκου αἵμονι χάλᾳ
σφαζομέναν, ἀπ ἐμῶν γονάτων σπασθεῖσαν ἀνάγκᾳ.

Nam reliqui quoque versus dorici sunt, et qui praecedunt hexametros, et qui insequuntur.

Miro modo Althausius (II, pg. 3) carmen in quinque systemata divisit:

a) vv. 60—66, ex legitimis anapaestis compositum et attice scriptum, praeter διερειδομένα, quod mutat.

b) 67—72, item legitimum, sed dorice coloratum, cum et στερροπά v. 67 et μῆτερ v. 70 legatur. En callidae Althausii ar-

gutiae. Anxius, quo se verteret, utrum hoc an illud mutaret, satius iudicavit utrumque amplecti et systema neque attice neque dorice conscriptum dicere, sed „dorice coloratum“. Quamquam in στεροπά merus dorismus apparet, qui nullo modo cum πορπάσω, ποινάσω, αὐδάσω cett. (v. pg. 21 sqq.) comparari potest.

c) vv. 73—81 duobus hexametris dactylicis incipiens, communi lingua scriptum.

d) vv. 82—89, ex anapaestis legitimis compositum, dorice tamen conceptum.

e) vv. 90—97 tertio simile, sed doricarum formarum plenum.

De hac Althausii distributione non est, quod plura dicam. Quae inter se apta sunt, dissolvuntur ea, et conectuntur contraria.

Mihi proficiscendum esse videtur a vv. 82—96. (ἔσται τι νέον e. q. s.). Aperte enim unum systema efficiunt, cui intericiuntur duo hexametri dactylici. Huic systemati Euripides, quod est eius aequabilitatis studium, alterum opposuit, vv. 68—81 (ὦ στεροπὰ Διός e. q. s.), id quod ex mira sententiarum verborumque similitudine apparet. Verbis enim ὦ στεροτὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ respondent ἔσται τι νέον, ἥξει τι μέλος; in his et in illis eadem orationis forma iteratur. Habes deinde δείμασι φάσμασι in v. 68 et Φρίσσει τάρβει in v. 85, tum ἔννυχον ὄψιν v. 72, et ὀνείρους v. 89; ut illic deinde Nox, somniorum mater, ita hic eorum interpres, Helenus, invocatur. Imprimis autem responsionem duplex hexametrorum par testatur, pari intervallo inter medios anapaestos intercedentium. Quamvis igitur strophica responsio non sit, negari tamen aut tolli minime debet. Tollitur autem, si ita, ut fecerunt Althausius et Dresselius, versus distribuuntur. Si vero duo systemata statuas, et responsio servatur, et id quod quaerebamus, dialectorum quae sit ratio, patescit. Cum posterius systema, et anapaesti et versus dactylici, dorice conceptum sit, alterum totum atticum est, excepto, si modo genuinum est, primi versus στεροπά. Nam tantum abest, ut doris-

mus solum offensui sit, ut ipsum verbum totius loci nexu et sensu vitiosum esse arguatur. Hecuba somniis exterrita Noctem et Tellurem invocat, ὦ σκοτία νύξ et ὦ ποτνία χθών. His praemissa sunt ὦ στεροπὰ Διός. Inepta est scholiastarum interpretatio, qui στεροπὰ Διός pro ἡμέρα positum esse clamant. Quid enim somnia ad diem? Itaque G. Hermannus Διός „coeli" interpretatur, ut στεροπὰ Διός coeli vulgor sit, vel nocturnorum siderum lumen. Conferri posse ait cum eiusdem fabulae v. 705 (694) ὄψιν, ἣν ἐσεῖδον ἀμφί σ', ὦ τέκνον, οὐκέτ' ὄντα ἐν Διὸς φάει. At vero ex his ipsis verbis apparet Διὸς φάος et στεροπὰ Διός non de nocte sed de die potius dici. Neque significationis inversio proximis verbis ὦ σκοτία νύξ explicatur; immo „obscura nox" lucem pellit et interpretandi conatus densissimis tenebris obruit. Utcunque igitur est, hoc mihi constare videtur, ut στεροπά verbum, ita ipsum dorismum eiusdem prorsus incertum esse neque refellere nostram et versuum et dialectorum divisionem.

Restant versus 59—68. Eos omnes legitimorum anapaestorum numero adscribi vetant cum dorismus in v. 66, διερειδομένα, tum versus 62 metrum. Nam praeterquam quod deest caesura, inaudita est arsis dissolutio, servatis thesis brevibus: λάβετε, φέρετε, πέμπετ' ἀείρετέ μου. Ubi apud Euripidem proceleusmaticum in anapaestis invenias, duorum pedum partes sunt syllabae, velut Hec. 145 ἵζ' Ἀγα|μέμνονος | ἵκε̆τις| γονάτων|, Tro. 101 μεταβαλλομένου δαίμονος | ἀνέχου, ib. 176 τάσδ' Ἀγαμέμνονος | ἐπακουσομένη. Unum et quantum novi exemplum proceleusmatici unum efficientis pedem. Aristoph. nub. 917 διὰ σὲ δὲ φοιτᾶν (G. Herm. διὰ σ' οὐ φοιτᾶν δέ), quod ut genuinum sit, tamen sex breves, λάβετε, φέρετε, quamvis bene pingant labentis Hecubae debilitatem, in legitimis anapaestis ferri non possunt. Malim igitur intercidendo post v. 61 duo systemata statuere, alterum legitimorum anapaestorum attice conscriptum, liberiorum alterum, in quo et proceleusmaticus ille et dorismus διερειδομένα conspiciuntur:

1) ἄγετ', ὦ παῖδες, τὴν γραῦν πρὸ δόμων,
ἄγετ' ὀρθοῦσαι τὴν ὁμόδουλον,
Τρωάδες, ὑμῖν, πρόσθε δ' ἄνασσαν.
2) λάβετε, φέρετε, πέμπετ', ἀείρετέ μου
γεραίας χειρὸς προσλαζύμεναι e. q. s.

Quod prius systema tribus tantum versibus constat, cf. Ionis carminis huic simillimum, vv. 867—870 pg. 77. Ceterum haec carminis divisio egregie eo confirmatur, quod optime cum crescente animi motu congruere videtur.

Egreditur lente incedens Hecuba e captivarum tentorio; servas, ut ipsam sustentent, cohortatur. Iam vero viribus defecta repentine collabitur, anxia compellat mulieres: λάβετε, φέρετε cett. Haec causa est, cur tam repentine ad liberiores anapaestos transeatur, neque subiciatur systemati versus paroemiacus. Qui ut legitimus paene in fine systematum est, ita haud raro tamen summo iure omittitur, velut in I. A. anapaestis v. 1—48, 116 sqq., Hipp. 175—265. Cf. etiam pg. 76.

Ubi paulo quietior facta est Hecuba, somnium enarrare coepit. Primo autem magis universe loquitur; se vidisse ait funestam speciem, quae filiae mortem portendat; sed quaenam fuerit, etiam silet; deos inferos invocat, ut servent filiam. Postremum vero — et hoc alterius, dorici, systematis initium est — non iam de instante pernicie dubitat, ingentemque animi angorem his verbis effundit: ἔσται τι νέον, ἥξει τι μέλος | γοερὸν γοεραῖς cett. Et nunc quidem terribilem speciem latius exponit: se vidisse in somnis cervam cruento lupi ungui e brachiis suis ereptam. Cervam vero esse Polyxenam.

Similis huic Hecubae parodo altera est eiusdem. Tro. vv. 98 - 152. Duabus e partibus consistit. In altera 98—121 non admissae sunt nisi formae communes, altera omnino dorica est. Miror autem Kirchhoffium, qui in primo versu:

ἄνα, δύσδαιμον, πεδόθεν κεφαλήν,

ἐπάειρε δέρην, repudiato hoc κεφαλήν cum duobus libris BC doricum κεφαλά praetulit. Nam praeter dorismum et hia-

tum infert orationi, et ridiculam sententiam efficit: age, miserum caput, erige cervicem tuam.

Altero loco posueram primum eos anapaestos, qui novam personam prodire annuntiant. Quorum argumentum adeo simplex et sterile est, ut oratio plerumque isdem formulis adstringatur, καὶ μὴν ἐσορῶ — ὅδε δὴ στείχει, aliis. Nihil igitur in eis est, quo dorismi usus commendetur, et si nihilo minus in magno horum versuum numero pauca inveniuntur, quae obsint, librariorum errori ea tribuenda sunt.

Hipp. (168 — 174) v. 172 Kirchhoffius e plerisque libris ψυχά recepit, verum ψυχή praebet B liber.

Tro. (569—578) v. 574 δύστανε γύναι, et ib. 577 Φθιώτας, utrumque iam a Dindorfio emendatum est. Quam fluctuent libri, bene h. l. ex *AB* cognoscitur; habent enim:

Ἑκάβη, λεύσσεις τήν δ' Ἀνδρομάχην
ξενικοῖς ἐπ' ὄχοις πορθμευομένα ν;

I. A. (586—602) v. 593 θνατῶν, similiterque

Su. (1120—1128) v. 1127 θνατοῖς. Utroque loco Dindorfius dorismum sustulit. Non sibi constat Nauckius, qui cum servet θνατῶν in Iph. versu, ex altero α removet, sublato dorismo etiam ex illo δύστανος (Tro. 574). Probari posset α in θνατός adiectivo, si ubique servari videretur, neque bis tantum in eis fabulis, quae solis *BC* libris traditae plenae sunt eius generis vitiorum.

In eisdem Suppl. anapaestis (1120—24) etiam καταλειβομένας extat, v. 1125; sed corruptum est verbum.

Sequuntur anapaesti, qui finem singulis scenis imponunt. Plerumque in eis chorus animum refert ad ea, quae ante acta sunt; laudat, reprehendit; laetatur, commiseratur. Simul tamen anapaestorum numeri abeuntem personam prosequuntur. Consentaneum igitur toti eorum naturae est communes formas in eis obtinere. Sic in Alc. vv. 753 — 758 sex traduntur, τόλμης, ἀρίστη, Ἑρμῆς, Ἄιδης, Ἄιδου, νύμφη, octo im Tro. vv. 784 — 800, duodecim in Med. 1069—1104 (in v. 1082 ex optimo B libro

iure nunc ἀπειροσύνην receptum est), neque ullum dorismi exemplum invenitur in Med. vv. 754—758, Heracl. 287—296.

Semel δύστανε legitur in Med. v. 359 (359—365), quod fortasse quispiam defendat, cum desint etiam formae atticae. Sed cum dubitari nequeat, quin legitimi anapaesti sint, iure Dindorfius δύστηνε restituit.

Aliud vitium inest in Tro. v. 1240 (1240—1250) μελέα μάτηρ, ἥ e.q.s., sic Kirchhoffiius et Nauckius. Dorismus eo minus ferri debebat, quod statim ἥ insequitur. Cur autem μάτηρ praetulisse poetam putes? An propter animi commotionem, quae in hoc verbo nulla est. Si tamen esset, idem certe fieri debebat in eiusdem fab. v. 785:

ὦ παῖ μητρὸς μογερᾶς, et ib. 792:
ὦ τέκνον, ὦ παῖ παιδὸς μογερᾶ,
συλώμεθα σὴν ψυχὴν ἀδίκως,
μήτηρ κἀγώ..., quibus alia innumerabila addi possunt.

In quinque fabularum fine (Alc., Andr., Ba., Hel., Med.) haec clausula invenitur: πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων e. q. s. In Oreste, Phoenissis, Iphigenia Aul. haec altera:

ὦ μέγα σέμνη Νίκη e. q s.

Reliquae undecim aliter aliae concluduntur.

De origine horum versuum multum inter se dissentiunt viri docti. Ne nos quidem eos ab Euripide profectos esse existimamus, sed ab actoribus, quos constat et alia multa inseruisse, quae aut aliunde memoria tenebant, aut ipsi finxerant. Suspicari autem licet, eos in extremis fabularum partibus, ubi facillimum erat aliquid addere, maxime ad hanc licentiam proclives fuisse. Sed utut est, ab omnibus eiusmodi versibus exulat prorsus dialectus dorica.

Difficilior est de eis anapaestis quaestio, qui ut trimetri iambici in diverbio usurpantur. Consentaneum est hos quoque dorismo carere. Sed ubi illud accedit, ut simul lamenta eis contineantur, triplex est dialectorum ratio. Aut enim ut in di-

verbio communes tantum formae admittuntur, aut propter questus et lamenta doricae, aut ita hoc cum illo coniungitur, ut utraeque, sed certis circumscriptae finibus, adhibeantur.

Attice conscripti sunt Alc. vv. 283—290, Andr. 505—511, 526—533, Med. 1378—1408. Imprimis El. 1288—1353 et Rhes. 725—743, in quibus cum acerbissimos questus Rhesi servus effundat, obtinet tamen η:
δύστηνος ἐγώ, — — ὦ στυγνοτάτην Τροίαν, — — δολίῳ πληγῇ; οἷα μ'ὀδύνη; πῶς ἂν ὀλοίμην.

Alteram rationem sequuntur maxime Hec. vv. 173—213 et Tro. 152—231, doricarum formarum pleni, atticarum prorsus expertes.

Tertia conspicitur in Med. vv. 97—148; diverbii instar sunt inter Medeam et liberorum eius nutricem. Haec quamquam et ipsa in sollicitudine versatur, multo minus excitata animo est, quam Medea, quae et ira et insano amore torquetur. Bene igitur poeta huius verborum vim dialecti gravitate auxit. Quod vidit etiam Elmsleyus: „Ego, inquit, in Medeae verbis doricas formas servavi, nutrici autem communes ubique restitui — —" et paulo post: „quae autem nutrici tribuuntur, utpote sermoni propiora communi lingua concepta sunt."

Huic ego Elmseyi sententiae non assentiri possum in tertio nutricis systemate sic libris tradito:

οὐκ εἰσὶ δόμοι· φροῦδα τἀδ' ἤδη·
ὁ μὲν γὰρ ἔχει λέκτρα τυράννων,
ἡ δ' ἐν θαλάμοις τάκει βιοτὰν
δέσποινα, φίλων οὐδενὸς οὐδὲν
παραθαλπομένα φρένα μύθοις.

Uni ἥ tria obsunt τάκει, βιοτάν, παραθαλπομένα, quae ut servem, maxime me movet τάκει illud. Nam et rarior in hoc verbo dorismus est, ut τήκει si verum esset, facilius servari potuisset quam θνητός e. g. vel δύστηνος vel μήτηρ, et optime, puto, dolor nutricis cum dominae vita simul tabescentis graviore

et austeriore forma pingitur. Nolim igitur cum Elmsleyo et Dindorfio, quos vel Nauckius sequitur,

τήκει βιοτήν — — παραθαλπομένη

scribere, sed ut totum doricum reddam systema eique aequabilitatem sermonis servem, in tertio versu ἁ δέ restituere. Haec optime cum toto rerum statu congruunt. Chorus auditis Medeae lamentis occurrit, et quae sit eorum causa, quaerit. Iam nutrix paucis verbis, quae respondet, omnem reginae miseriam ingentemque suum dolorem detegit; ut antea Medea, ita nunc ipsa lamentari coepit, cum ceteroqui illius animum confirmare studeat, aut secum, quid faciendum sit, deliberet. Differt igitur hoc systema non solum dialecto a ceteris, sed etiam argumento.

Vitiosa autem cum Elmsleyo ceterisque viris dd. habeo, quae in postremo nutricis systemate leguntur ὁρμαθῇ v. 191 et βοάν 203. Restituendum est in his verbis η, quod apparet cum in eiusdem versus 203 μάτην, tum in ἐμήν 187, τήνδε 188, λεαίνης 189, μούσῃ 198.

Mira quaedam sibi Dresselius persuasit. „Videtur, inquit pg. 32, Euripides dorismo interdum usus esse, ut sermonem cuiusdam amplioris personae (Medeae), ubi cum humiliore quadam (nutrice) colloqueretur, singularem atque speciosum et graviorem redderet.“ His enim tantum abest, ut poetam Dresselius defendat, ut risui eum atque ludibrio exponere videatur. Medea scilicet, ut domina, dorice loquitur, nutrix in atticis formis acquiescit. En prodit chorus, ut causam luctus de nutrice quaerat. At vero illa, quae est servorum consuetudo, qui coram dominis modesti, superbi adversus alios sunt, iamiam magnifice loqui coepit et orationem fucata dignitatis specie ornare. Nam τάκει dicit et βιοτάν et παραθαλπομένα, quae omnia ei Dresselius quoque concedit.

Idem prorsus atque in his Medeae anapaestis in Hipp. vv. 175—266 usu venit. Verba faciunt Phaedra eiusque nutrix. Nutricis versus sunt 175—197 (v. 194 ἀπειροσύνην BC codd. et Plut. amat. pg 764), 203—206, 212—214, 223—227, 232—238,

250—266, omnes communi lingua concepti. Patet igitur v. 179 νοσέρας δέμνια κοίτης cum libro E scribendum esse, neque ut fecit Kirchhoffius κοίτας cum ceteris, quod e proximo νοσέρας originem traxit.

In Phaedrae versibus 198—202, 208—211, 215—227, aperte doricae formae obtinent: ἀναπαυσαίμαν 211, ὕλαν 215, χαίταν 220, ὄρπακα 222, λίμνας 228, γενοίμαν 230, δαμαλιζομένα 231, in quibus omnes fere libri consentiunt. Excipienda tamen sunt κεφαλῆς 200, ἀρυσαίμην 209, κομήτη 211, (χαίταν) ξανθήν 220, quae cum hodie in Euripidis editionibus mutari soleant, defendit ea Dresselius pg. 32, ideoque ait Phoedrae orationi intermista esse, ne dorismus nimis frequens sermonem invenustum redderet, auresque audientium iniucunde afficeret. Imprimis autem putat χαίταν ξανθάν iniucundius soniturum fuisse. Quodsi ita est, vituperanda est poetae neglegentia, quia tam raro isti suavitati soni consuluit, immo plerumque α doricum quam maxime cumulavit. Inutile duco eius rei exempla proferre. Quin ipsum χαίταν ξανθάν, cuius durum sonum abhorret Dresselius, integrum extat Tro. 229:

ἂν ὑγραίνει καλλιστεύων
ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσαίνων — —

et Iph. T. 132 ξανθὰν κεφαλάν.

Multo melius igitur Dindorfius, qui ad v. 169: „Doricum α, inquit, et atticum η in libris sic alternant, ut facile apparea librarios temere modo hoc modo illud scripsisse, quia non perspexerant, Phaedram doricis, Τρόφον atticis uti formis“[1]). Sed etiam Dindorfius vereor, ne praesumpta opinione ductus iusto ulterius progressus sit. Perlustremus, sis, extremum Phaedrae systema vv. 239—249. Traduntur in eo:

v. 239 δύστηνος, uno quidem d libro,
ib. εἰργασάμην ABCEcd *BC*, i. e. omnibus praeter ab.

1) Idem tamen vir d. in Phaedrae versu 210 κομήτη sive errore, sive nescio qua causa ductus recepit.

240 γνώμης ἀγαθῆς ABC cd *BC*.

241 ἅτη ABCE cd *BC*.

242 τλήμων, omnibus.

243 κεραλήν BC d, κεφαλάν *AB*, de ceteris nihil enotavit Kirchhoffius.

246 αἰσχύνην, omnibus.

247 γνώμην ABCE cd *B*, cum schol. Soph. Ai. v. 265.

Probo Dindorfium ipsumque Nauckium, qui cum mutandum esse censerent, omnia mutare ausi sunt. Non sibi constitit Kirchhoffius, qui in edit. min. αἰσχύνην et γνώμην reliquit, in reliquis autem versibus α restituit. At vero nihil omnino mutandum erat, immo servandae erant omnes quotquot traduntur atticae formae. Sapientissime rem ita instituit poeta, ut Phaedra dorice loqueretur, quam diu morbo agitata et mentis paene impos libere in oratione evagaretur. Contra communi Atticorum lingua utentem facit, ubi sedato animi motu cum sana mente verecundia revertitur, ubi intellegit Phaedra se muliere indigna verba iactavisse. Tum eam pudet insaniae eorumque quae fecit, atque a nutrice, ut sibi caput velet, precatur. Φεῦ φεῦ, τλήμων, inquit, μαῖα, πάλιν μου κρύψον κεφαλήν· | αἰδούμεθα γὰρ τὰ λελεγμένα μοι. Iure igitur tranquilliori huic animi statui oratio quoque accomodatur.

Sequuntur Baccharum versus 1358 cett. usque at finem fabulae. Sermo est inter Cadmum et Agaven. Qui cum primo iambicis rhythmis adstrictus sit, mox, cum personae de scena abiturae sunt, in anapaestos transit. Sed inest vitium in v. 1363

Δεινῶς γὰρ τάνδ' αἰκίαν
Διόνυσος ἄναξ
τοὺς σοὺς (πάτερ[1]) εἰς οἴκους ἔφερεν.

Et metrum primi versus — deest enim syllaba — et τάνδε dorismus offensui sunt. Itaque Elmsleyus τήνδε emendavit, sublataque γάρ particula cum Musuro δεινῶς duplicavit. Herman-

1) Addidit G. Hermannus.

nus contra et Dindorfius τοί post γάρ inserunt. Utrumque parum probabile videtur. Fluxit, nisi fallor, γάρ e substantivo ἄγρα, scripto per compendium ideoque corrupto, restituendumque est

δεινῶς ἄγρας τήνδ' αἰκίαν e. q. s.

Ἄγρας enim ad Pentheum spectat, quem Agave ut leonem venata interfecerat. Similiter in v. 423 servi ad capiendum Dionysum emissi:

Πενθεῦ, inquiunt, πάρεσμεν τήνδ' ἄγραν ἠγρευκότες.

Atque de ipso Pentheo Agave v. 1096: λάβεσθε, μαινάδες, τὸν ἀμβάτην θῆρ' ὡς ἕλωμεν,

et in v. 1133: χωρεῖ δὲ θήρα δυσπότμῳ γαυρουμένη — — ἀνακαλοῦσα Βάκχιον τὸν ξυνεργάτην ἄγρας, vel 1158 sq. Φέρομεν ἐξ ὄρεος — μακάριον θήραν, et 1171 εὐτυχὴς ἅδ' ἄγρα.

Dorismi in τάνδε origo nunc manifesta est. Translata est in illud α vocalis, quod in ἄγρας et αἰκίαν ter audiebatur.

Rhes. 1—40. Versus sunt vigiliarum partim, partim Hectoris. Illae non nisi atticis formis utuntur, Φυλακήν v. 6, πάσης v. 7, κεφαλήν v. 8, quibus βᾶθι v. 1 non obesse v. pg. 22; Hectoris doricae sunt, ἀμετέρας v. 13, κοίταν v. 22; a σῆμα v. 12 et νυκτηγορία alienum esse dorismum v. pg. 20 et 24. Male fecit Dindorfius, quod Hectori quoque atticas formas reddidit, neque eum imitari debebat Nauckius. Cum enim chori oratio, qui nihil extimescat, traquilla sit atque sedata, Hector e somno expergefactus vehementer perturbatur. Itaque poeta eum et excitatius loquentem facit et dorica dialecto utentem. Optime autem Hectoris trepidatio e primis statim versibus cognoscitur:

τίς ὅδ'; ἦ Φίλιος Φθίγγος; τίς ἀνήρ;
τί τὸ σῆμα; θρόει·
τίνες ἐκ νυκτῶν τὰς ἀμετέρας
κοίτας πλάθουσ'; ἐνέπειν χρή.

In Iph. A. vv. 1–48 et 115–161 bis tantum *α* admittitur, primum in regis ad Clytaemnestram epistula 115–123:

πέμπω σοι πρὸς ταῖς πρόσθεν
δέλτοις, ὦ λήδας ἔρνος,
μὴ στέλλειν τὰν σὰν ἶνιν πρὸς
τὰν κολπώδη πτέρυγ' Εὐβοίας

cett.

Optime doris dialectus cum metro, utrumque vero cum sententia congruit. Cum enim ideo Agamemno literas recitet, ut servus eas mandet memoriae, tarde oportet atque distincte singula pronuntiari, id quod minus bene fieri posset, si rex rapido anapaestorum cursu loqueretur.[1])

Alter dorismus apparet in duobus Agamemnonis vv. 136 sq.

οἶμοι, γνώμας ἐξέσταν·
αἰαῖ, πίπτω δ' εἰς ἄταν.

Et his igitur locis cognoscitur variari quidem dialectos in anapaestis, sed nunquam intra eiusdem systematis fines. Nam ubi dorica Euripides utitur, atticam procul habet, hanc ubi revocat, aeque rursus cavet ab illa.

Iph. A. 1281—1284. Quattuor sunt Iphigeniae versus, quibus matri respondet. Huius in verbis Ἄιδῃ habes, in illius μῆτερ (μᾶτερ *C*) et τύχης. Obest ἀελίου v. 1284. Quod enim in μῆτερ v. 1281 uni *C* libro (qui μᾶτερ habet), id in ἀελίου utrique, et *B* et *C*, accidit. Restituendum est ἠελίου.

Dorice vero conscripta est monodia, quae inde a proximo versu initium capit: ἰώ, ἰώ.

Servant dialogi anapaesti vel tum *η* atticum, cum ut lyrica carmina strophica quadam responsione coercentur. Cuius rei duo apud Euripidem exempla inveni.

---

1) Cf. etiam v. 140 sq. μή νῦν μήτ' ἀλσώδεις ἴζου | κρήνας μήθ' ὕπνῳ ξελχθῇς. Quanto haec verba propter numeros altius in animum penetrant! Pinguntur eis morae cunctantis. Contrarium fit in vv. 143 sq., in quibus inquietam festinantis trepidationem conspicias: πάντῃ δὲ πόρον σχιστὸν ἀμείβων | λεῦσσε. Φύλασσε, μή τίς σε λάθῃ.

Rhes. v. 527—534 = 546—553, ubi ἐκηρύχθη 527, πρώτην 527, ter φυλακήν 527, 532, 551, πεμπτήν 532; — in uno κατόπταν 547 vitiosi sunt libri; et Alc. vv. 93—99 = 107—113, in quibus κεδνῆς 99, μήν 107, ἦμαρ 107, ἀρχῆς 113[1]).

His versibus dorismum abiudicandum esse vel inde probabile fit, quod stropharum responsio satis libera est, ut appareat idem in eis usu venire atque in trimetris iambicis, de quibus pg. 50 sqq. diximus.

Legitimis anapaestis oppositum est alterum genus liberiorum. Plerumque eis questus continentur vel tristis animi status pingitur. Ut attica in illis, ita in his doris dialectus obtinet, si minus per totum carmen, attamen, id quod iam plurimis exemplis comprobatum cognovimus, per singula saltem systemata. Memorabiles sunt Iph. T. versus 142—227, in quibus septuagies fere α doricum occurrit sine ulla exceptione. Nam et Ἀσιήταν v. 174 semper alteri formae praelatum est, et πηγάς v. 160 in numero eorum verborum habetur, in quibus α vocalis usus fluctuabat.

Etiam in Hec. vv. 151—195 plus quam quadraginta formae dorides inveniuntur. Quis igitur dubitaverit in v. 161 pro πῇ δ' ἥσω, aut ποῖ δ' ἥσω aut πᾷ δ' ἥσω e parte librorum recipere? Cautius certe agendum est de δυσφήμους φάμας v. 192; Dindorfius δυσφάμους φάμας, ut etiam Aesch. Agam. 407 contra libros ἄτλατα τλᾶσα. Num id recte, ipse viderit; equidem probare non ausim. Neque enim semper in εὔφημος, δύσφημος cett. η in α convertitur, v. pg. 11, et videtur sane κακοφωνία quaedam inesse in δυσφάμους φάμας et ἄτλατα τλᾶσα. Evitatur autem dorismus hac de causa etiam in aliis quibusdam formis, velut in participiorum aor I act. terminatione ησας. Cf. pg. 42.

Hipp. 1338—1380. „In hac Hippolyti monodia, inquit Dresselius, tam frequens est dorismus, ut paucae atticae formae

1) In v. 93 φθιμένας et 110 ψυχᾶς libri habent. Etiam Dindorfius mutat.

dispersae, praesertim cum in toto carmine eadem dictio eademque affectio maneat, sane offendant."

Sunt autem hae:

ἐμῆς 1346, ἐφέστηκεν 1351, σωφροσύνη 1356, τῆς 1359, ἐπόνησα 1360. (sex).

Doricae in eisdem versibus, i. e. usque ad v. 1360 inveniuntur:

δύστανος 1339, sic omnes libri praeter B, κεφαλᾶς 1342, ἀΐδαν 1357, uno E traditum (ᾅδην B, de ceteris nihil constat), ibid. γᾶς E (γῆς C, κατάκρας ceteri).

Ergo quattuor hae formae dorides tanti momenti sunt, ut prae eis „paucae" illae contrariae pro nihilo ducantur? Diversa statuit Dindorfius, qui e versibus 1338—1360 dorismum sustulit, cum iure suo a maioris numeri parte standum esse censeret. Nobis quidem neutrum satis probabile videtur; immo et atticas et doricas formas servari posse credo, dummodo varia systematum ratio recte intellegatur. Est enim summa huic carmini cum illo Phaedrae similitudo. (Cf. pg. 70 sqq.).

Hippolytus intolerabili dolore cruciatus exclamat:

δύστανος ἐγώ — — —
διά μου κεφαλᾶς ἄσσουσ' ὀδύναι
— — . Concluditur systema v. 1344: σχὲς, ἀπειρηκὸς σῶμ' ἀναπαύσω, non paroemiaco sed legitimo dimetro. Nihil hac re in liberioribus anapaestis usitatius est. Pingitur ea animi commotio, quae sedari nullo modo potest; nam placido paroemiaco versu ea tamquam ad finem atque tranquillitatem perducitur. Itaque e quattuor Phaedrae systematis (Hipp. vv. 175—266) tria dimetro acatalectico concluduntur, unum illud, in quo remittit perturbatio, catalexi. Contra in nutricis oratione paroemiacus in cuiusque systematis fine obtinet.

Iam vero Hippolytus (inde a v. 1346) ad se ipsum redit et mente ac ratione uti coepit; servis imperat, ut quam lenissime ipsum prehendant; Iovem invocat, pietatem suam laudat, queritur male contemptam ab eo virtutem: (vv. 1346—1360). Haec

utpote sermoni quam lyricis propiora attica lingua et scrib. debebant et scripta ab Euripide sunt: ἔ ἔ,

ὦ στυγνὸν ὄχημ' ἵππειον ἐμῆς
βόσκημα χερός — — —

usque ad v. 1360

τῆς εὐσεβίας εἰς ἀνθρώπους ἐπόνησα.

paroemiacum versum, qui hic aptissimus est.

Mutandum igitur nihil est in his versibus. In v. 1357 cum B libro contra unum E (nam de ceteris nihil constat) Ἄιδην et cum C γῆς scribi debet. Unus E rursus γᾶς habet; ceterorum κατάκρας minime formam doricam confirmat. Nam κατάκρης necesse fuit a quovis librario in κατάκρ α ς mutari.

Mox tamen dolor paululum ante repressus maiori vi instat (v. 1361)

αἲ αἲ, αἲ αἲ,
καὶ νῦν ὀδύν α, μ' ὀδύν α βαίνει.

Manifestum est igitur, quam ob rem revocetur rursus dorismus.

Simili modo distinguendi sunt Ionis anapaesti 867—927.

Creusa cum peccatum, quod commiserat, confessura est, verecundia tenetur graviterque agitata, quid faciat, dubia animi haeret.

ω ψυχά, πῶς σιγάσω,
πῶς δὲ σκοτίας ἀναφήνω
εὐνάς, αἰδοῦς δ'ἀπολειφθῶ;

Dein pergit: Sed quid est, quod morer? cur me criminis pudeat? quis me accusare et damnare audebit? an coniux, qui ipse me prodidit? an di, qui me miseram deseruerunt? Haec dum reputat secum, dumque constituit fateri culpam, mentis excitatio, ut fieri solet, relaxatur, proditurque remissior factus animus non verbis solum sed etiam metro atque ipsa dialecto:

τί γὰρ ἐμπόδιον κώλυμ' ἔτι μοι;
πρὸς τίν' ἀγῶνας τιθέμεσθ' ἀρετῆς;

Sic προδότης v. 872, ἐδυνήθην 875, τήν 879, λίμνης 880, ἀπονησαμένη 883.

Obsunt solum ἀκτάν 881, et ψυχά 885, quorum illud a proximo πότνιαν (π. ἀκτάν) α videtur traxisse, hoc fortasse e primo versu illatum est. Utrumque emendari debet, cum prorsus non sit, cur cum Dindorfio unum ψυχά mutetur.

Extrema anapaestorum pars (889—927), quae confessionem continet, doricarum formarum plena est; communium in ea nulla invenitur.

Tro. 152—231.

Auditis Hecubae questibus duo hemichoria accurrunt, vv. 152—157 et 176—181. Quae ea cum Hecuba de tristi Troadum sorte loquuntur, dorice scripta sunt, itemque quod sequitur carmen lugubre (v. 200—231). Fluctuant libri in hemichoriorum anapaestis; nam cum in v. 152 Ἑκαβή sit, in v. 176 ἐπακουσομένα legitur. Utrumque non puto a poeta profectum esse, qui in pari animorum affectione eodemque versuum genere cur variaret dialectos non habuit. Si vero tolli debet alterutrum, tollendus est potius dorismus. Quamquam enim hi versus (152—57; 176—81) a proximis anapaestis lyricis, quibuscum strophas efficiunt, separari non possunt, ipsi tamen magis eorum numero agregandi sunt, qui personarum introitum subsequuntur, in quibus ut legitimis sollennis est dialectus attica. Poterant igitur hi anapaesti etiam primo loco enumerari.

Dorismi origo quae fuerit, BC codicum scriptura ἐπακουσομέναν ostendere videtur. Cum enim mulieres antea, in v. 165, compellatae essent: ἰὼ ἰώ,

μέλεαι μόχθων ἐπακουσόμεναι
Τρῳάδες, ἔξω κομίσασθ' οἴκων.

pluralis forma etiam in eum quo respondetur versum errore memoriae translata est, correcta tamen postea in id quod proximum erat ἐπακουσομένα (in b *AB*, qui referti sunt Byzantinorum emendationibus). Mansit corruptela in optimis libris BC, ita tamen, ut ι cum ν confuso ἐπακουσομέναν exararetur.

In reliqua carminis parte, ut iam diximus, dorismus obtinet.

Dorici denique sunt Io. vv. 144—184 et Iph. T. 123—142 quamquam ab eis absunt questus et lamenta. At ubique in eis gravissima animi affectio cernitur, cum Ionis sacro munere in templo fungentis, tum Iphigeniae sacerdotis ministrarum. Itaque in harum anapaestis fere quinquies decies dorismus occurrit, fere octies in Ione, cuius Φήμας, cum solis *BC* libris nitatur, cum Dindorfio emendare non dubito. In Ζηνός et κῆρυξ, ib. 158, 159, sollemne η etiam in canticis est. Cf. pg 27 et 17.

Peracta quantum licuit de dorismo quaestione additurus sum pauca, quibus fortasse ad emendandos tres versus Euripidis aliquid conferatur. Mihi occurrerant ea, cum dorismi causa fabulas poetae perlectitarem, neque, opinor, in fine huius opusculi nimis incommoda aut aliena a re ipsa erunt.

1) Hipp. v. 527 sqq.

Ἔρως, ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων
στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχαῖς χάριν, οὓς ἐπιστρατεύσῃ.

Sic quidem ceteri codices; A, qui omnium optimus habetur, ὅστις ante στάζεις et τε post εἰσάγων inserit. Offensui sunt cum ὅ, quae relativi pronominis forma vel a Sophocle et Aeschylo abest, neque tamen, cum obsit metrum, in ὅς mutari debet, tum, ut mox videbimus, verbi στάζεις significatio. Non recte fecit Kirchhoffius, quod, ut articulum redderet ὅ, ὅστις in textum recepit. Ita enim et conexus tollitur, cum iam verba ὁ κατ' ὀμμάτων interpretationem non admittant, et in antistropha lacuna statuenda sit. Aliam viam ingressus est Nauckius; is enim, (Eurip. Studien II. 22.) ita ὅ relativum tollit, ut et ipse quidem sub eo articulum latere dicat, at referat eum ad participium, quod pro στάζεις verbo finito reponendum sit. Miror autem fugisse virum cl. hanc ipsius opinionem eo firmari, quod liber A post εἰσάγων participium etiam τε habet, manifestum, quam sane adulterinum, prioris participii vestigium. Hoc participium, quod desiderat, non στάζων fuisse, idem vir

doctus egregie evicit. Offerri enim verbis στάζειν πόθον κατ' ὀμμάτων animo flentis imaginem, totius rei naturae prorsus contrariam, quia non stillet amor de oculis, tamquam lacrimae. Erravit vero Nauckius in eo, quod e verbi στάζεις terminatione concludendum esse putat etiam participium in ε̄ις̄ exiisse, neque videtur reputavisse, undenam factum sit, ut ὅστις pronomen in textum invaserit. Nam videri supplementum non satis est, nisi cognoveris eius originem, quae tamen, nisi fallor, repetenda est ex eo antiquorum more, quo poetarum verba superscriptis annotationibus interpretari solebant. Id factum est etiam in participio, quod — ut fuerit ipsum στάζων — in hunc fere modum relativa sententia explicaverunt:

ὅστις εις
στάζων πόθον.

Ita non modo pronominis verum etiam ε̄ις̄ terminationis origo cognoscitur, ut appareat iniuria Nauckium in ea perstitisse, neque probabilitatis speciem habere ἰείς, quod ipse proposuit. Quid dicendum fuerit, docent et Apollon. Rhod. IV, 1147: δαΐε δ' ἐν ὀφθαλμοῖς γλυκερὸν πόθον, et ipse Euripides in Or. v. 473:

ὁ μητροφόντης ὅδε — δρακών
στίλβει νοσώδεις ἀστραπάς . . .

h. est: Ἔρως, ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων
ὅστις εις
στίλβων πόθον, εἰσαγὼν γλυκεῖαν
ψυχαῖς χάριν.

Cf. etiam Soph. Ant. 795:

νικᾷ δ' ἐναργὴς βλεφάρου ἵμερος
εὐλέκτρου νύμφας.

Scio quidem transitum, qui fiat de στίλβεις i. e. στίλβων εις ad στάζεις, quod hodie traditur, repentinum videri, neque defenderem eum, nisi explicaretur tertio quodam verbo, super quod tamquam gradum intermedium de στίλβεις ad στάζεις librarii venerunt: στίζεις, i. est στίλβεις — στίζεις — στάζεις.

modi vitiosa vitii propagatio rara non est: saepenumero eam patefactam vidimus a viris doctis et in tragicorum fabulis et in ceterorum poetarum carminibus.

2) Phoen. 1505. sq.

Verba sunt Antigonae, quae, dum matris fratrumque corpora in scenam proferuntur, eorum mortem deplorat:

1503 — — *τίνα μουσοπόλον στοναχὰν ἐπὶ*
δάκρυσι δάκρυσιν, ὦ δόμος, ὦ δόμος
ἀνακαλέσομαι (cod B *ἀνακαλέσωμαι*)
τρίσσα Φέρουσα τάδε
σώματα σύγγονα, ματέρα καὶ τέκνα, χάρματ' Ἐρινύος.

Cum totum prorsus carmen (1490—1510) dactylico numero adstrictum sit, non potest non invenusta videri eius interruptio (*ἀνακαλέσομαι — —* et *Φέρουσα τάδε σώματα*) neque iam dubium est, quin vel vitiosa sit atque tollenda de textu. Proposuerim ego emendationem et facilem, credo, et sensui accommodatam:

ἀγκαλέσω, μία τρίσσα Φέρουσα τάδε
πτώματα, σύγγονα e. q. s.

De numeralium oppositione *μία τρίσσα* non est, quod dicam; adeo eam constat Euripidem in deliciis habuisse, ut, ubicunque posset, ea orationem ornaret.

Cf. Alc. 913, Andr. 506, El. 1302, Hec. 880 sq., Heracl. 8, Hipp. 258, Sophocl. Ant. 14, 170, Tra. 460, 539.

Praepositionis apocopa satis frequens est; cf. e. gr. Phoen. 1415 *ἀμΦέρει*, ib. 297, et 788. Commendatur ceterum *ἀγκαλέσω μία* vel ipsius B, libri optimi, scriptura *ἀνακαλέσωμαι*. *Πτώματα* trium mortuorum corpora etiam in v. 1487 Euripides dixit.

3) Brevis ero de Iphig. Taur. v. 190.

Chorus Iphigeniae et Atridarum mala enumerat. Metro non [illegible]itur nisi anapaestico. Incerta tamen est mensura versus 190:

[v. 188 — *ἄλλαις δ' ἄλλα προσέβα*
„ 189 *χρυσέας ἀρνὸς μελάθροις ὀδύνα,*]

Φόνος ἐπὶ Φόνῳ ἄχεά τ' ἄχεσιν, qui conferri non potest cum Iph. T. 213:

ἄγαμος, ἄτεκνος, ἄπολις, ἄφιλος

aut cum Io. 897:

κρόκεα πέταλα Φάρεσιν ἔδρεπον.

Cum enim hi dimetri trochaici sint, in illo hiatus Φόνῳ ἄχεα obstat. Probabile est eum vestigium esse numeri anapaesti, in quo hiatu ῳ corripi potest. Iam si ita versum metiaris, ut anapaestorum tripodiam efficias,

Φόνος ἐπὶ | Φόνῳ, ἄχε|α τ' ἄχεσιν |

numeri, ut iure ait Dindorfius ad eiusdem Iphig. v. 130, evadunt ineptissimi. Praeterea autem ipsa tripodia minus adhuc certa ac probata est, quam quae poetae obtrudi possit. Equidem dimetrum versum habeo, cuius altera pars sic facile restituitur:

ἄχθεα τ' ἄχθεσιν,

sive:

ἄλγεα τ' ἄλγεσιν.

Post ἐπί autem aliquid intercidit, fortasse δὴ, quod hic satis aptum videtur, quia verbis: Φόνος ἐπὶ | δὴ Φόνῳ, | ἄχθεα | τ' ἄχθεσιν versus proximus explicatur et confirmatur. Denique nec proceleusmaticus in anapaestis liberioribus offensionis quidquam habet, nec pedis forma — ⏑⏑ ter hoc loco repetita. Cf. Hipp. vv. 1352 sq.

πρόσφορα μ' αἴρετε, σύντονα δ' ἕλκετε
τὸν κακοδαίμονα καὶ κατάρατον,

qui non versus dactylici, sed vere anapaesti sunt.

S

Index locorum,

quibus lectio tradita mutatur.

Phoen. 1519 . . . . . Pg. 16
„ 1507 . . . . . „ 81
Herc. f. 109 . . . . . „ 17
„ 886—889 = 895—898 „ 54 sqq.
Hippol. 527 sq. . . . . „ 79 sq.
Bacch. 1363 . . . . . „ 72 sq.
Iph. T. 190 . . . . . „ 81 sq.

Refutantur

aliorum coniecturae, ut contrariae Euripidis dialectorum usui:

Nauckii ἐξαμμέναν Or. 975 . . . . Pg. 13
„ καδομένα Phoen. 1489 . . . . „ 18
Dindorfii ἀβός Soph. O. Col. 702. . . . „ 14
„ Ζανός cett. . . . . „ 27 et 39 sq.
„ et Nauckii ἀναβοάσας Ba. 514 „ 42 sq.
Kirchhoffii θοινητήριον Rhes. 504 . . . „ 22
G. Hermanni Θρᾴκαν Hec. 78 . . . . . „ 63 et 27.

Corrigenda:

Pg. 11, 23 leg. 49 pro 48
„ 27, 20 „ 23 „ 36.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 428 9

Φόνος ἐπὶ Φόνῳ ἄ-
Iph. T. 213:

a-

qu
s

NOV 20 1875

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 048 428 9